


Hunc librum Muis  
suis inservientem  
iure possidet  
Theodor Mahlmann

TM 1150


Meister Kahlmann

3. III. 1994

\*







COMPENDIUM  
DIALECTICÆ

succinctum & per-  
breue,

*In usum adolescentia quæ his  
studijs primùm imbui-*

*unt,*

Concinnatum

*Collegij ...*  
1684<sup>a</sup>  
CONRADO HORNEIO

S. Theol. Licent. & Logicæ

in acad. Iulia Profes-

sore.

*Editio secunda, priori corre-*

*ctior.*  
*Smuntz Joh. V. Rixner*  
*Abo*  
*suby...*  
1665

HELMÆSTADÏ;

Typis heredum IACOBI LUEL,

impensis Ieremiæ Rixnerj,

clō 16 cXXVII.



## Typographus lectori S.

**C**um ante triennium compendium hoc Dialecticæ primum vulgaretur, opera equidem data est sedulo, ut quàm correctissimè excusum prodiret: id enim cum primis necessarium est in ijs libellis, qui pueritiæ & primæ adolescentiæ destinantur. Verum tamen non potuit id prima vicè tam accuratè caueri, ut non paucula sphalmata, committerentur. Irreptit etiam vnum iasigne, quod cum ante editionem deprehensum fuisset, de eo in calce libri indicium fecimus, cætera calamo correctâ fuere. Sed quid sit? Dum in eo sumus, ut distractis jam ferè exemplaribus alteram editionem, eamq; ab hac parte numeris omnibus absolutam paremus, ecce famelicus quidam, siue bibliopola siue typographus, libellum inuadit, & alibi sine venia auctoris & suppresso nomine cum loci tum suo, eum recudit. Cujus quidem tantus stupor: ea in re existit, ut non solum errata, quæ notata calamo à nobis fuerant, non emendarit, sed & illius eximij emendationem nostram rursus vltimæ paginæ alleuerit; ne dicam quod insuper noua menda de suo adieserit, quæ non pauca sunt. Quæ cum videremus eò, magis maturauimus hanc nostram secundam editionem, quæ non tantum vetera nostra errata non habet, sed etiam in nonnullis locis ab ipso auctore est correctâ, ut ex collatione eius cum priori editione perspicies. Hoc scire te volumus, Vale Kal. Mart. anno

M. D. C. XXVI.

Au.





AUCTOR LECTORI  
S. D.

**Q**uod sapientissimè olim dictum est à Platone, non aliquid, magnum aut paruum, sed omnia sita esse in prima & recta educatione, id tam certum est & in aperto positum, ut nihil planè intelligat qui hoc ignorat. Mirum autem, imò monstro simile, nihil omnium tamen hodie æquè atq; hoc ipsum aut insuper haberi, aut prauissimè administrari. Non est tam infruitus aut vecors architectus, qui fundamento non rectè collocato ædificium ausit promittere firmum & inconcussum: & ecclesiã ac remp. florentẽ nobis pollicemur ubi rectè nemo aut ad hanc aut ad illam educatur. Præclarum habetur egregiè docere, sed proletarium discere; ma-

Da gnum

PRAEFATIO.

gnum quid & eximium Ecclesiae aut  
reip. praesse, & ad utrumq; tamen re-  
ctè institui in proclivi censetur posi-  
tum longè alio iudicio, quàm quod de  
altero horum Socratis erat, qui ideo à  
repub. abstinebat, quod satius esse dice-  
ret multos ad eam rectè capeffendam e-  
rudire, quàm ipsum eam gerere. Fit au-  
tem inde, vt muneri tam nobili & vnicè  
necessario allegentur non promiscuè  
tantum docti, indocti, sed hi maximè,  
praesertim qui aut pra inertia, aut in-  
genij tarditate cætera studia despera-  
runt, vnde aut ambitioni aut avaritiæ  
velificari poterant. Fit porro id quoq;  
vt si sint tam erecti & generosi animi  
aliqui, vt sunt singulari Dei providen-  
tia semper, qui rectè instituti curam il-  
lam tam neglectim omnibus habitam  
sibi committi patiantur, & illi tan-  
dem, rei indignitate permoti, aut aliò  
se

PRAEFATIO.

se cōferant, aut sæpè in medio præclarè  
merendi cursu, velint, nolint, defici-  
ant. Et verò cum non tantum commu-  
ni hominum imperitorum sensu, sed  
publica insuper auctoritate illi maxis-  
mè æstimentur qui minimum omnium  
sæpè sciunt, & paruo tempore, ac inter-  
pocula & amores creberrimè, discatur  
quod admirationem apud omnes & o-  
pes immensas parit, quid mirum est,  
longum tempus & improbum laborem  
ijs discendis aut non impendi, aut si im-  
penderis, operæ te pænitere, quibus a-  
bundè instructus aut fortiter contem-  
naris, aut strenuè egeas, aut certè in  
cæterorum illorum clientelam sedes,  
& quod omnibus istis peius est, id eti-  
am quod ad unguem nosti, non tuo sed  
te indoctiorum arbitratu & imperio  
geras. Gentem quandam Lybiæ accepi-  
mus soli orienti conuitium facere soli-

A 3

tam,

PRAEFATIO.

tam, inaudito aliàs inter homines in  
Deum lucis auctorem ingratitude  
exemplo: quid aliud nos ijs facimus qui  
curæ, de qua dicimus, vni in Ecclesia  
& rep. maximæ incumbunt, cum inde  
eos dispicimus vnde æstimari & miri-  
ficè præ alijs commendari mereban-  
tur? Nihil mirum itaq; si pauci sunt,  
qui acri ingenio & solida doctrina  
præditi ei rei sedent, & magno conatu  
agant, vt desipere mortalibus omnibus  
videantur. Vnde vt recta educatio pe-  
rit, ita sensim ipsa Ecclesia & respub.  
collabascunt: etsi pauci sunt qui id vi-  
dent. Et beati etiam sic eramus, nisi  
orti præterea essent nuper terræ ali-  
quot filij, qui disertè insuper scholas &  
omnem eruditionem damnarent; quod  
etsi inauditum antehac erat, multorū  
tamen animos pridem insedissee videri  
poterat. Sed hæc alijs loci sunt, nec di-  
gni

## PRÆFATIO.

gni illi quorum insaniâ confutandâ bonæ chartæ conspurcentur. Id dicere institueram, cum non præficiantur educationi adolescentiæ qui idonei ad eam rem præ cæteris erant, nec ubi præfecti fuerint in pretio sint, duo maxima inde emergere mala: vnum, quod prauis præceptis imbuitur tenera ætas, alterum, quod peruerso omnia discat ordine. Nec fieri vtrumq; aliter potest. Et primò quidem quid rectè doceat qui ipse nihil benè didicit? Vnde Græcum verbum iubet, eam quemq; artem, quam ipse norit, factitare. Sic

Nauim agere ignarus nauis timet,  
abrotonum ægro

Non audet, nisi qui didicit, dare.

Et sanè non ferimus sartores, sutores & id genus infimos opifices, si artem, quam profitentur, edocti ab ijs non sint qui magisterium earum tenent, &

PRAEFATIO.

tamen qui ciues reip. & doctores Eccle-  
siae nobis daturi sunt artem quam ex-  
ercent ipsi plerumq; ignorant. Lingua-  
as, Latinam, Graecam, Hebraicam, in  
ludis litterarijs adolescentia vnicè do-  
cenda: at quotusquisq; è præceptoribus  
horum quidquam paullo rectius nouit,  
aut hodie in academiis discit? Vnde fit  
vt necessariò ad alia dilabantur. Por-  
rò verò quàm absurdum est si indocti  
doceant, tam perniciosum est si legiti-  
mo ordine non proponantur etiam quæ  
bona & recta sunt. Vnum autem ho-  
die ab altero dependet. Nihil certius  
est quàm alia studia alij ætati conueni-  
re, nec solidi vnquam quid disci, nisi  
eo potissimum tempore. Vnumquodq;  
cognoscatur quo natura ipsa id cogno-  
scendum constituit. At bone Deus!  
quantum hic erratur, vt plurimi planè  
insanire videantur. Linguarum, vt di-

PRAEFATIO.

xi, mediocrem notitiam & pietatis ac  
Rhetoricæ & Logicæ prima rudimenta  
cum morum innocentia & elegantia æ-  
tas puerilis flagitat: nunc istis omiſſis,  
vniuerſam ſapientiam, diuinam, huma-  
nam, diſcit; nec diſcit tantum, ſed de  
præcipuis vtriuſq; capitibus contro-  
uertit. Omnes ſubtilitates diſputandi  
penetrat, naturæ arcana ſcutatur & de  
mysteriis fidei, non ex κατηχόσι, ſed inti-  
ma Theologia diſſerit, vera confirmat,  
hæreſes refellit. Non ſtilum format,  
ſed eloquentiam vniuerſam arbitratur.  
Nec de morum ciuilitate adhuc erudi-  
tur, ſed ipſam prudentiã politicam hau-  
rit, & accedere ad rem, minatur. Fi-  
dem tuam, lector, ecquid iſtis præpoſte-  
rum magis excogitari poteſt, ecquid  
puero vel adoleſcentulo oratore, diſpu-  
tatore, ſenatore, & philoſopho ac theo-  
logo deniq; monſtroſius eſſe? Næ qui ita

P R A E F A T I O.

de vniuersa eruditione & sapientia sentiunt, vt captu istius ætatis vtramque metiantur, non puerili illi iam sunt sed mente penitus capti. Qui verò norunt nō magis eas partes pueritiæ aut primæ adolescentiæ quadrare, quàm gigantis cothurnum nano, aut Achillis hastam vel Herculis clauam infanti bimulo, & nihilo minus tamen aut ostentandæ disciplinæ & doctrinæ suæ, aut alia de caussa, hæc talia pueros docent, quid aliud illi faciunt, quàm vt tūc eorum qui fidei ipsorum concrediti sunt, tūc ipsius reip. salutem, quantum in se est, prodant? Inuasit autem pestis ista ludos litterarios tam primū, cum vnus nouator omnem veram & veterem institutionem ante annos pauculos ita corrupisset, vt eius nec vlla nec vestigium ferè amplius extaret, quò ipsius discipuli malum pedem attulissent. Ex eo  
tem-



P R A E F A T I O .

tempore fumos adolescentiæ vendere & carbones pro thesauris obtrudere præclarum habitum fuit. Idq; illi facere aliter non poterant: præterquam enim quod ipsa professio ijs necessitatem optimos quosq; auctores traducendi ac naso suspendendi imponeret, nulla ipsi solidæ eruditionis initia perceperant, nec meliorum auctorum Græcorum ac Latinorum, nedum Dialecticæ aut Rhetoricæ, vel mediocrem cognitionem nacti fuerant. Quare relictis illis, præsertim in quibus facile etiam à discipulis ipsis redarguerentur, alia eaq; pueritiæ æquè ac sibi imperuia, vt glaucomata quædam obijciebāt, quibus vna opera & ignorantiam suam velarent, & insperatæ ac transmarrinæ sapientiæ opinionē apud omnes aucuparentur. Hinc vt orcum oderant veteris auctoris exegefin & contrā gau-

## PRAEFATIO.

gaudebant, si sibi nona praecepta conde-  
re, & cum discipulis cornicum oculos  
configere liceret. In nulla autem re ma-  
iori licentia id tentatum fuit, quam in  
Dialecticis, cum semel illa vetus Logi-  
ca à Petro Ramo eliminata esset. Non  
cedit tantum niuium vna hieme, quan-  
tum nouarum Dialecticarum ab ijs e-  
ditum ex eo tempore est, qui initia ejus  
doctrinae nunquam degustarunt. V-  
num autem volumen vltima fetura edi-  
tum aliquot ab hinc annis est, idq; ali-  
quoties in vicinia recusum, quod palma  
absurditatis, confusionis & inscitiae cae-  
teris omnibus jam praecepit. Iures ipsum  
antiquum χάρις istis chartis represen-  
tari tam perfecte vt perfectius neque-  
at. Qui liber, dici non potest, quanto cū  
pueritiae malo in ludos passim nunc re-  
cipiatur. Et profecto jam tum experi-  
entia docet, adolescentes vbi aliquot an-  
nis

PRAEFATIO.

nis istâ congerie absurdorum præceptorum excarnificati fuerint, nec propositionem vnâ ab altera, nec notionem primam à secunda distinguere posse, nec vllam deniq; argumentandi formulam rectè percepisse. Vnde fit, vt quas nugas magno labore, multo tempore, domi imbiberunt, eâ maiore conatu postmodum in academijs dediscendæ sint, si ad aliquam saltem bonæ eruditionis frugem aspirent. Quod cum animaduernerent viri intelligentes & de Ecclesia ac rep. præclarè merendi cupidi, non putarunt educationem adolescentiæ deinceps sic apud nos negligendam, cumq; missis fumis illis grandium promissorum, institui eam in veris & solidis ac ætati isti conuenientibus studijs vellent, præsertim, vt par est, in Catheticis, linguis & primis Dialecticæ ac Rethoricæ initys, conquirere

in-

P R A E F A T I O .

inter cætera ceperunt Logicæ compen-  
dium, quod nec captum adolescentiæ su-  
peraret, & ex veterum scriptis ad ver-  
bum excerptum esset. Cumq; id à me po-  
tissimum monstrari sibi vellent, quòd  
publicè hîc ea studia tractarem, fa-  
ctum est, vt inter tot insignia recen-  
tiorum scripta nullum isti rei & no-  
stræ adolescentiæ ex omni parte ac-  
commodatum reperirem. Quâ re nihil  
accidere mihi ægrius potuit: ita enim  
euenit. quod metuebam, ut mihi con-  
signandi eiusmodi libelli cura impone-  
retur, quod eò grauius fuit, quò lu-  
bentius aliorum scripta commendo, nec  
mea, nouatorum more, cuiquam faci-  
lè obtrudo. Veruntamen ne tam lau-  
dabili proposito virorum præclarissi-  
morum & mihi amicissimorum im-  
portunè refragarer, suscipiendam pro-  
uinciam istam putavi, idq; ideò quod o-  
mnis

P R A E F A T I O.

omnia quæ conscriberem ex veterum & optimorum auctorum monumentis depromi posse & depromenda esse intelligerem, tantum ut stilum ipse commodarem & iudicium excerpenti adferrem. Id itaq; feci isto opusculo, de de quo nihil præterea dicam, si de vno & altero tantum te monuero. Primum est, ut scias, omnia in id collata esse, quæ adolescentibus vtilia in principio sunt, imò plura fortè quàm prima vice capere possint, ut rectius facturi sint præceptores, qui proponere illis ea volent, si nonnulla initio omittant, præsertim quæ lib. IV. & V. traduntur, quàm si vberius ea persequi conentur. Alterum est, ea quæ hîc tradita non sunt, de industria à nobis esse præterita, nec locupletari nouis quæstionibus aut capitibus à præceptoribus epitomen hanc posse, nisi corrumpere malint.

PRAEFATIO.

lunt. Tertium est de exemplis, quae i-  
deò ex rebus obuiis, de consuetudine o-  
mnium bonorum in hoc genere aucto-  
rum, depromsimus, ut eò feliciùs iis  
præcepta illustrarentur: nam qui the-  
ologica, iuridica, aut ex media philo-  
sophia petita, iis hodiè apud nauatores  
substituunt, præcepta per se obscura  
exemplis obscurioribus ita obfuscant,  
ut percipi à tironibus nequeant, nec  
norunt, aliud esse vsum Logicæ in  
Theologia, Philosophia, Iurispruden-  
tia ostendere, aut eius ope in ipsis illis  
disciplinis aliquid rectè explicare, ali-  
ud præcepta Dialecticæ primùm tra-  
dere. Hæc monitus esto lector, & va-  
le, ac conatibus his, non magnis, sed, ve-  
speramus & vouemus, utilibus, faue  
Helmstadi nonis Octobris.

1773. c. l. c. XXIII.

COM-



COMPENDII DIA-  
LECTICI  
LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

*De*

*Definitione & diuisione Lo-  
gices.*

**D**ialectica, quæ alias et-  
iam Logica appellatur,  
est disciplina quæ do-  
cet modum rectè ratio-  
cinandi, seu est instrumentum ve-  
ritatem inquirendi & à falso dis-  
cernendi. Aristoteles modum sci-  
endi vocat, B. Augustinus periti-  
am disputandi: disputare enim est  
allatis argumentis veritatem o-  
stendere & falsum confutare. No-  
men

B

men

2.

LIB. I. CAP. I. DE

men alterum ἀπὸ τῆς λόγῃς, id est, ra-  
tiocinatione, alterum ἀπὸ τῆς διαλέγε-  
σας, id est, disputatione, nacta  
est.

3.

Vbi ante omnia obserua quod  
dicimus, modum ratiocionandi & sci-  
endi eam docere: cum enim in o-  
mnibus scientijs cæteris ratioci-  
nemur & disputemus, & verum in-  
quiramus ac à falso discernamus,  
sola tamen hæc præcepta ipsa rati-  
ocinandi & disputandi seu verita-  
tem inquirendi tradit. Vnde nec  
scientia propriè est, sed scientia-  
rum & disciplinarum cæterarum  
instrumentum, idq; Genus ejus re-  
ctè constituitur.

4.

Objectum, seu id circa quod  
versatur, sunt res omnes circa quas  
ipsæ scientiæ versantur, seu quæ o-  
pus habēt vt ratiocinando & argu-  
men-



mentando veritas earum homini innotescat. Versatur tamen circa eas ita, non vt ipsam veritatem earum ostendat, sed modum eam eruendi præscribat.

*Finis* est duplex, vnus ipsum illud rectè ratiocinari seu argumentari aut etiam syllogismum facere: alter, vt eius ope ad verum pertingatur, illum *internum*, hunc *externum* appellant.

Diuiditur porrò in duas partes: sicut enim ad rectè argumentandū seu syllogismum bonum conficiendum, duo requiruntur, primò vt legitimè vnum ex altero deducatur, seu vt vnum alterum sequatur, deinde vt obseruetur ex quibus principiis deducatur, quorum illud *forma* & consequentia syllogismi, hoc *materia* vocatur: ita vna

4. LIB. I. CAP. I. DE  
pars Logicæ agit de forma argu-  
mentationum, altera de materia.  
Prior communis vocatur, quia for-  
ma in omnibus materijs vna & ea-  
dem est, posterior propria, quod  
materia seu principia ex quibus ar-  
gumentamur multiplicia sint.

6. Cæterum quia objectum Lo-  
gicæ, ut diximus, sunt res omnes  
prout argumentationum aut di-  
sputationum capaces sunt, ante-  
quam de ipsa argumentatione seu  
Syllogismo agatur, tota rerum v-  
niuersitas in certas classes tributa  
præmittitur, vnde rudis rerum o-  
mnium cognitio hauriatur. Hæ  
classes Prædicamenta vocantur. Ad  
prædicamenta autem ista rectiùs  
percipienda Prædicabilia intelli-  
gere oportet, quæ quot modis v-  
num de altero prædicetur osten-  
dunt. CA-

CAPVT II.

De

Prædicabilibus.

**P**rædicabilia aliâs vniuersalia ap-  
pellantur. Dicitur autem vni-  
uersale res multis communis, sicut  
contra singulare res vna & quæ mul-  
tis tribui nequit, seu quæ de multis  
dici & prædicari non potest. Præ-  
dicabilia itaq; sunt communes na-  
turæ, seu potius notiones secun-  
dæ per quas res vna de multis præ-  
dicatur.

Obserua hic notionem seu in-  
tentionem primam vocari, cum res  
concipitur sicuti est, puta quod sit  
homo, leo, equus, arbor, &c. notio-  
nem secundam, cum concipitur pro-  
ut hoc vel illud ei à mente tantum  
nostra tribuitur, vt cum homo di-  
citur esse masculinum, nominatiui  
casus, subjectum prædicatum, ma-

6 LIB. I. CAP. II. DE  
jor aut minor terminus &c. Ea-  
dem ratione homo dicitur speci-  
es, animal genus, non quòd reue-  
ra sint, sed vt per has notas res vna  
communis ab altera distinguatur  
& intelligatur modus quo vna al-  
teri tribuitur.

3. Prædicabilia autem numero  
sunt quinque; Species, Genus, Dif-  
ferentia, Proprium, Accidens.

4. Species est quod sub genere  
collocatur, item quod immediatè  
prædicatur de multis singularibus  
siue indiuiduis, vt homo est species  
animalis, & dicitur de Petro, Paul-  
lo, Iacobo, hoc homine, illo homi-  
ne &c: indiuiduum enim & singu-  
lare idem sunt.

5. Est autem Species duplex *sub-*  
*alterna & infima*. Subalterna, quan-  
do quod alias in se est genus respe-  
ctu

ctu superioris generis dicitur species, vt *animal* respectu corporis animati. Infima quæ nunquam est genus sed proximè sub se indiuidua continet, vt *homo, equus, leo*. Vtramq; descriptione allata complexi sumus.

*Genus* est quod de multis specie distinctis prædicatur in quid est, seu sub quo species collocatur, sicut *animal* dicitur de homine leone, lupo, &c. hæc enim sub animali continentur.

*Differentia* est quæ cum genere constituit speciem, & speciem unam ab altera differre facit, vt *rationalis* cum animali conjunctum constituit hominem, eumq; ab equo discriminat.

*Proprium* est quod non constituit sed necessario consequitur

8. LIB. I. CAP. II. DE  
speciem, ut risibilis <sup>quelli nisi hoc competit</sup> naturam ho-  
minis. Estq; quadruplex: primò  
enim ita dicitur quod competit  
rei alicui soli, sed non omni, ut do-  
ctum esse homini, secundò, quod o-  
mni sed non soli, ut eidem bipidem  
esse, tertia quod omni & soli, sed  
non semper, ut canescere, quartò  
quod omni, soli & semper, sicut ri-  
sibile esse. Et ex his proprium quar-  
ti modi maximè tale est.

9. *Accidens* est quod ita inest rei ut  
possit etiam non inesse, sicut *albedo*  
inest parieti, *frigus* manui &c.

Diuiditur in separabile & In-  
separabile. *Separabile* est quod se-  
paratur, sicut *album* à pariete: po-  
test enim paries esse niger &c. *Inse-*  
*parabile* quod non separatur, et si  
10. separari potest sine abolitione es-  
sentiæ rei. ut *nigredo* in coruo: hæc  
enim

enim quanquā à coruo nunquam  
 aut raro abest, potest tamen abesse  
 & nihilominus coruus manere  
 coruus. Differt à Proprio quod il-  
lud salua rei essentia nec abesse po-  
est: sicut homo esse non potest  
 qui risibilis non est.

CAPVT III.

De

ANTEPRÆDICA.

MENTIS.

**A**Ntequam de prædicamentis  
 ipsis dicatur, explicandi non-  
 nulli adhuc sunt termini, quorum  
 cognitio ab ea intelligenda iti-  
 dem requiritur. Vulgò *anteprædi-*  
*camenta* appellantur. Sunt autem  
 hi: Synonymum, homonymum,  
paronymum, cum complexione &  
sine complexione dici, de subie-

10 LIB. I. CAP. III. DE  
cto dici, & in subiecto esse.

2. *Synonima*, Latine *vniuoca*, dicuntur quibus non tantum nomen sed etiam definitio secundum illud nomen est communis, sicut *animal* dicitur de *homine*, *equo*, *leone*: homo enim equus, leo, non tantum nomen sed etiam definitionem animalis participant.

3. *Homonyma* seu *æquiua* vocantur quæ nomen tantum commune habent & definitionem diuersam, sicut *animal domesticum* & *fidus* vno nomine *canicula* dicuntur. Nomen est idem, sed definitio ac res non est eadem.

4. Inter *vniuoca* & *æquiua* interjacent *analogia*. Sunt autem quum non tantum nomen sed etiam res & definitio est communis multis, sed secundum quid tantum,



ANTEPRAEDICAMENTIS. II  
tum, sicut *risus* dicitur de *homine* &  
*prato*: homini enim res illa per se,  
*prato* secundum aliquam propor-  
tionem tantum competit. Ita *sa-*  
*num* dicitur animal, medicamen-  
tum, *vrina*: sed animal propriè  
sanum est: habet enim sanitatem,  
medicamentum efficit eam tan-  
tum *vrina* indicat.

*Paronyma* dicuntur quæ deno- 5.  
minationem ab aliquo habent, à  
quo casu differunt, sicut *justus* à *ju-*  
*stitia*, *alb* ab *albedine* denominatur.

*Cum complexione* aliquid dicitur 6.  
quum ajo, *Homo* currit, *Socrates*  
disputat, *sine complexione*, cum di-  
co, *Homo*, *Socrates*, currit.

*Dici deniq; de subjecto* idem est ac 7.  
*prædicari* de aliquo, sicut animal  
dicitur de homine; at *inesse* vt *sub-*  
*jecto* est alteri inexistere seu inhæ-  
re-

12. LIB. I. CAP. IV. DE  
rere, sicut *albedo* inest homini & o-  
mnia accidentia substantijs : non  
tantum enim prædicantur de sub-  
stantijs, ut substantiarum etiam v-  
na de altera, sed eis præterea inex-  
istunt. Quid autem sit inhærere,  
paulò post dicetur.

CAP. IV.

De

PRÆDICAMENTIS ET

primo de

Substantia.

1. PRædicamenta, quæ Græcè ca-  
regoriæ appellantur, sunt de-  
cem, *Substantia*, *Quantitas*, *Qua-*  
*litas*, *Relatio*, *Actio*, *Passio*, *Vbi*,  
*Quando*, *Situs*, *Habitus*.
2. *Substantia* est res quæ per se  
subsistit. Huic opponitur *accidens*  
res quæ esse nequit nisi in alio, cu-  
ius tamen pars non est, seu, vno  
ver-

verbo, quæ alteri inhæret: id enim inhærere appellatur. Substantiæ sunt, *homo, equus, lapis, lignum, crinis, &c.* Accidentia *albedo, nigredo, longitudo, latitudo, doctrina &c.* omnia enim ista eo, quo diximus, modo alijs insunt.

Substantiæ dividuntur in corporeas & spirituales seu in corporeas. Spirituales sunt *Deus, angeli, demones.* Corporeæ rursus sunt vel *simplices*, vt *cælum & quatuor elementa*, vel *mixtæ*, vt *corpora cætera.* Porro corpora mixta aliâ sunt imperfectè, alia perfectè mixta. Imperfectè mixta sunt *nix, grando & meteora reliqua.* Perfectè mixta sunt iterùm vel *animata, vel inanimata.* Inanimata, vt *metalla, lapides & metallica omnia*, puta *sulphur, vitriolum &c.* Animata deniq; vel habent

bent animam *viuentem* tantum, vt *arbores, frutices & plantæ*, vel etiam *sentientem*, vt *animalia* omnia bruta vel *viuentem sentientem & rationale* vt homo.

4. Diuidi etiam solent in *primas & secundas*: *Primæ* dicuntur *individa*, vt, *Socrates, Plato, Paullus, Iacobus, Bucephalus &c.* *secundæ* autem, *individuorum illorum species & genera*, vt, *homo, equus, animal, planta, corpus, spiritus.*

5. *Proprietates substantiarum* sunt, *primò non esse in subiecto*, vt supra patuit, *secundò, non habere contrarium*: *qualitates enim propriè contrariæ inter se sunt*: *tertiò, non recipere magis & minus*: non enim vnus homo magis est homo quam alter, nec vna aqua magis aqua quàm alia: *quartò vt manens vna*

na

na & eadem numero recipiat con-  
traria, sicut idem homo nunc fri-  
get nunc calet.

## CAPUT V.

De

*Quantitate.*

**S**ubstantia constituit vnum re-  
rum genus seu Prædicamen-  
tum: Accidens verò in nouem di-  
stinguitur, inter quæ primum lo-  
cum Quantitas obtinet. Nota au-  
tem vocem accidentis hic aliter  
accipi atque suprà in Prædicabili-  
bus: illic enim prædicationem tan-  
tum accidentalem significat, hic  
rem ipsam quæ alteri accidit.

*Quantitas* est à qua res dicun-  
tur quantæ. Estq; duplex *continua*  
& *discreta*: continua, cuius partes  
communi aliquo termino copulã-  
tur, vt sunt *linea, superficies, corpus,*  
lo-

*locus & tempus*: discreta cujus partes ita non copulantur, vt *numerus & oratio*.

3. Proprietates Quantitatis tres sunt. *Prima* est quod ei, vt & substantiæ, nihil sit contrarium: nec enim numerus ternarius quaternario, aut superficies lineæ repugnat. Sanè magnum parvo, multum paucò opponitur, sed ista non tam quantitates sunt quàm relata, cum idem aliquid multum & paucum, magnum & parvum alio atq; alio respectu esse queat.
4. *Secunda* est, non recipere magis & minus, quam & ipsam cum substantia communem habet. Sic quinquarius numerus non magis est numerus quàm binarius, nec millenarius magis quàm denarius.
5. *Tertia*, & ea quidem soli quantita-

PRAEDICABILIBVS 17

titati competens, est, quod à Quā-  
titate res dicantur æquales & inæ-  
quales. Ita ratione longitudinis &  
latitudinis aut numeri vna res al-  
teri æqualis dicitur. Nota tamen  
vt vocabulum æqualitatis propriè  
accipias: nam per metaphoram et-  
iam substantiis & qualitatibus tri-  
bui solet.

CAPVT VI.

De

Qualitate.

**Q**ualitas est à qua res dicuntur  
æquales. Hæc ad quatuor spe-  
cies redigitur. Primam constituūt  
dispositio & habitus, secundam  
potentia & impotentia naturalis,  
tertiam passio & patibilis qualitas,  
quartam figura & forma.

Dispositio est à qua subiectum 2.

C

ita

ita officitur, vt qualitas tamen ea sit fluxa & facile mutabilis, sicut sunt artium ac scientiarum rudia in animo inchoamenta. *Habitus* est qualitas ex se constans & fixa: id enim à dispositione differt. Eiusmodi qualitates sunt *ars ipsa virtus, scientia.*

2. *Potentia naturalis* est aptitudo ad agendum aut patiendum aliquid subiecto à natura indita, vt in homine est facultas *loquendi*, discendi litteras &c. *Impotentia naturalis* est naturalis ineptitudo, vt in homine est *hebetudo oculorum, tarditas ingenij* &c.

4. *Passio* est qualitas ab animi aliquo motu in corpore aut animo ipso existens, sicut est *pallor* à timore, *rubor* à verecundia, *ira, amor* &c. *Patibilis qualitas* est non quæ patitur  
tur



tur ipsa, sed quæ pati facit sensum seu quæ sensum afficit, sicut *dulcedo, amaritudo, albedo, nigredo*. Differt à passione quod hæc sit subitanea, ipsa diuturna.

*Figura* est qualitas quæ ex terminatione quantitatis resultat prout in se spectatur, vt si quid sit *triangulare* aut *quadrangulare*: forma quæ resultat ex terminatione quantitatis cõsideratæ in corpore naturali, vt est *forma hominis, leonis &c.* Figura enim præcisè dicit quantitatis terminationem, at forma etiam colorem & proportionem inuoluit.

Proprietates qualitatis tres sunt: *Prima* est quod in ea reperitur contrarietas. Sic *justitia* *injustitiæ* contraria est, *calor* *frigori*, *albedo* *nigredini*: contraria e-

nim propriè sunt duo accidentia quorum vnum alterum ex vno eodemq; subjecto pelit.

7. *Secunda* est, recipere magis & minus: quæ enim alba sunt eorum aliud magis, aliud minus est tale: sicut & homo alius magis, alius minus est iustus. Nota tamen de qualitatibus in concreto non in abstracto hoc intelligi: nec enim vna albedo magis albedo est quàm altera.

8. *Tertia* est, quod à sola qualitate dicantur res similes & dissimiles.

CAP. VII.

De

Relatione.

1. **V**ox relationis æquiuoca est: nonnunquam enim relata dicuntur omnia quæ respectum aliquem

quem inuolvunt, nonnunquam ea tantum quæ tota in respectu consistunt. Illa impropiè relata appellantur & relata *secundum dici*, hæc propriè & *secundum esse*.

Relata *secundum dici* sunt quæ 3. quomodocunq; ad aliud dicuntur, quâ ratione etiam substantiæ & qualitates dicuntur ad aliud. Sic *caput* respectum dicit ad *capitatū* & *scientia* ad *scibile*, quorum tamen illud substantia, hæc qualitas & habitus est: omnes enim habitus respiciunt obiectum.

Relata *secundum esse* vocantur 4. quorum totum esse nihil aliud est quàm ad aliud referri, sicut sunt *dominum & servum, patrem & filium esse*. Hæc vera relata sunt & hoc prædicamentum sola constituunt. Nec de relatis *secundum dici* hic

22. LIB. I. CAP. VII. DE  
mentio facta est nisi ideo ut ab i-  
stis distinguantur.

4. Ad relata autem vera cogno-  
scenda quatuor dignoscere oportet, subiectum relationis, funda-  
mentum, relata ipsa & relationem.

5. *Subiectum* relationis, ut & alio-  
rum accidentium omnium est sub-  
stantia. Sic Patrem aut filium esse,  
seruum & dominum *homini* com-  
petit.

6. *Fundamentum* est aliud acci-  
dens, quo intercedente relatum  
subiecto inest seu ex quo in substā-  
tia resultat. Talia accidentia sunt,  
*Quantitas, Qualitas, Actio & Passio.*  
Sic æquale & inæquale aliquid di-  
citur à *quantitate*, simile & dissimile  
à *qualitate*, Pater & filius ab eo  
quod alter generat, alter generatur.

7. *Correlata* sunt termini relatio-  
nis,

nis, vt *Pater, filius, Dominus, seruus.*

*Relatio* deniq; est ipse mutuus & terminorum seu correlatorum inter se respectus, qui interdum vno nomine exprimitur, vt *similitudo* inter duos similes, interdum duobus, vt *paternitas & filiatio* inter patrem & filium. Quorum prius quum fit dicuntur relata *equiparantiae*, quum posterius, *disquiparantiae*.

Proprietates relatorum sunt, 9. *primò*, quod vno eorum posito ponatur & alterum, & negato vno, alterum quoq; negetur: sic si pater quis sit, est & filius aliquis & contrâ: sin autem nemo est pater, nemo etiam est filius. *Secundo* quod vno cognito alterum cognoscatur: ita qui nouit quid sit seruire, facile etiam intelligit quid sit dominari. *Tertiò* quod simul

24 LIB. I. CAP. IIX. DE  
sunt natura: statim enim atq; ali-  
quis incipit esse pater adest & qui  
fit filius, & vice versa.

CAPVT IIX.

De

*Sex vltimis Prædicamentis.*

1. **A**ctio est quum agere quid di-  
citur, vt disputare, verberare,  
clamare. Passio est quum quid pa-  
titur, vt verberari, calefieri.

2. Proprietates duas habent. *Pri-*  
*ma* est recipere contrarium: frige-  
facere enim & calefacere sicut &  
frigefieri atque calefieri contraria  
sunt. *Secunda* recipere magis &  
minus: nunc enim magis aliquid  
calefacit aut calefit, nunc minus.

3. *Vbi* seu esse alicubi est loco  
contineri, vt esse *in foro, in vrbe.*

4. *Quando* est tempore circum-  
scribi, vt fuisse *heri, hodie* esse.

*Si.*

*Situs* est habere partes corpo- 5.  
ris certo modo affectas ad partes  
loci, vt *stare, federe, cubare.*

*Habere* est corpori aliquid ad- 6.  
jacere, vt *stolatum* aut *togatum* esse.  
His decem classibus infinita rerum  
& nominum multitudo ita distin-  
ctè continetur, vt facilè sit cerne-  
re, quæ ad quod prædicamentum  
pertineant, & in vnoquoq; eorum  
quæ quibus communiora sint aut  
minus communia.

CAPVT IX.

*De*

*Postprædicamentis.*

**E**Xplicatis Prædicamentis ni- 1.  
hil restat in hoc primo libro,  
quàm vt nonnullos terminos  
quorum in ijs facta est mentio, ad-  
huc explicemus. Sunt autem hi,

C 5      quid

quid sit contrarietas, ac in vniuersum quotuplex oppositio rerum, quotupliciter aliquid dicatur prius, item simul esse, moueri & habere: quæ doctrina quia post categorias ab Aristotele traditur, vulgo dicitur *Postprædicamentorum*.

2. *Oppositio* autem rerum est quadruplex, relatiua, contraria, priuatiua & contradictoria.

3. *Relatiuè* inter se opponuntur duo correlata, vt *pater filius*, *herus & seruus*.

4. *Contrariè*, duæ qualitates quarum una alteram ex subiecto suo pellit, vt *albedo & nigredo*, *calor & frigus*. Sunt autem contraria duplicia, alia *mediata* alia *immediata*. *Mediata* sunt quæ ita pugnant, vt tamen admittant medium, seu vt neutrum eorum necesse sit esse in  
sub-



subjecto, sicut *album & nigrum*: contingit enim vt corpus quod albedinem & nigredinem habere potest, neutram habeat, & sit rubrum aut viride. *Immediata* sunt quorum alterutrum necesse est esse in subjecto, vt est *sanitas & morbus* in animali, *par & impar* in numero.

*Privatiuè* opponuntur habitus 5. seu forma & priuatio eius. Per habitum autem & formam intelligitur omne quod aliquid ponit in re, vt, *vita, visus, auditus*. Priuatio vero est absentia illius formæ in subjecto apto vt eam habeat, & eo tempore quando habere debebat. Sic si absit *visus* in animali quod natura aptum erat videre, & absit tum quando per naturam videre debebat, priuatio est & coecitas

28. LIB. I. CAP. IX. DE  
vocatur. Ejusmodi privationes  
sunt tenebræ, mors, surditas, caluitium,  
nuditas & infinita alia. Quando igi-  
tur hæ opponuntur formis, quarū  
absentiam dicunt, Priuatiua est  
oppositio, puta si vitam morti, lu-  
cem tenebris, visum cæcitati op-  
ponas.

6. *Contradictoria* deniq; sunt quæ  
opponuntur sicut esse & non esse  
simpliciter, vt homo, non homo, al-  
bum, non album.

7. Differunt autem priuatiuè &  
contradictoriè opposita: etsi enim  
etiam priuantia dicunt esse & non  
esse, non tamen dicunt non esse  
nisi in certo subiecto seu certare.  
Sic *Cæcum* non dicitur omne quod  
non videt, sed id tantum quod  
non videt cum potuerit videre. At  
contradictoria simpliciter dicunt  
esse

POSTPRAEDICAMENTIS. 29.  
esse & non esse: vnde videre aut  
cæcum esse, non competit omni-  
bus rebus, cum multæ sint quæ  
nec vident nec cæcæ sunt, puta li-  
gnum, lapis, terra, aqua &c. ac  
videre aut non videre omnibus  
competit. Ita lignum, lapis, terra  
etsi cæca dici nequeunt, non vi-  
dere tamen rectè dicuntur.

*Prius* dicitur aliquid multis 8.  
modis. Primò propriè & præcipuè  
ratione *temporis*, vt prior est Cyrus  
Persarum rex Alexandro, prior A-  
braham Dauide. Secundò ratione  
*naturæ* & *essæ*, vt prior est bina-  
rius ternario. Tertiò ratione *ordi-  
nis* vt consul senatore. Quartò ra-  
tione *nobilitatis*, vt aurum argento.  
Quintò sicut *causa effecto*, ut sol lu-  
ce.

*Simul* dicuntur esse propriè 9.  
quæ

quæ eodem tempore sunt vt Abraham & Lot: deinde quorum vnum est si sit alterum vt pater & filius: si enim hic est pater statim alter est filius.

x. *Moueri* dicitur aliquid sextupliciter: primò quum res *oritur*, secundò quum *interit*, tertio cum *accrescit*, quartò cum *decrescit*, quintò cum *alteratur*, sextò cum *locum mutat*.

xi. postremò *to habere* totupliciter dicitur. Primò dicitur habere aliquid qui *qualitatem* habet e. gr. doctrinam aut sanitatem: secundò qui *quantitatem*, tertio qui habet ea quæ sunt *circa corpus* vt vestitum, togatum esse, quartò qui quid habet *vt partem*, sicut est manum habere, quintò quod rem *complectitur*, sicut dolium habet

POSTPRAEDICAMENTIS. 31  
vinum, & sextò deniq; qui rem *pos-*  
*fidet*, vt qui domum habet.

Hactenus de Prædicamentis & <sup>12.</sup>  
quæ ad ea cognoscenda pertinent  
Prædicabilibus, Antepædicamē-  
tis & Postpædicamentis, id est,  
iis ex quibus & quorum ope subje-  
ctum Logicæ breuiter cognosci  
quadamtenus potest.



LIBER SECVNDVS,

*De*

ENUNCIATIONI-

BVS.

CAPVT I.

*De*

*Nomine & verbo.*



Um forma Syllogismo-  
rum cognosci nullo  
modo possit nisi perce-  
ptâ

ptâ formâ propositionum seu enunciationum, antequam de syllogismo ipso agatur exponendum est quid sit propositio, quæ ejus species & affectiones. Ut autem porro cognoscatur quid sit enunciatio, sciendum est quid sit *Nomen*, quid *Verbum*: hæ enim dictiones simplices sunt ex quibus orationes & propositiones principaliter constant. Sanè Grammatici etiam de nomine & verbo agunt sed paulò aliter & accuratiùs eæ voces hîc explicandæ sunt.

2. *Nomen* itaq; est vox significans secundum impositionem absquè tempore.

3. Primò est vox *significans*: nam ex vocibus quæ nihil significant orationes non componuntur.

4. Deinde significat *secundum im-*  
po-

positionem: nam gemitus, sibilus & similes voces, quibus homo & cætera etiam bruta animantia animi affectus produnt, sicut significant naturaliter tantum non ex certa impositione, ita nec ex iis orationes fiunt.

Tertiò significat *absq; tempore*: 5  
nam in eo nomen differt à verbo: hoc enim semper tempus connotat. Sic quid dicit, homo, tantum rem denotat sine tempore: at qui dicit currit, disputabit, non tantum rem, id est cursum aut disputationem notat, sed & vnâ tempus, puta cursum nunc esse, disputationem futuram esse.

Cæterum nomen propriè dicitur, 6  
vt homo, equus, leo, impropriè vt non-homo, non-leo: illa enim certum quid nominant ac denotant, hæc

D

nihil

nihil certi: vnde etiam illa vocantur nomina *finita*, hæc *infinita*.

7. At nec nomina *obliqua* propriè nomina sunt, sed *recta*. Sic homo & homines in casibus *rectis* nomina sunt, at *hominis*, *homini*, *hominem* &c. *hominum*, *hominibus*, non tam sunt nomina ipsa, quàm casus eorum.

8. *Verbum* est quod *consignificat* tempus & semper est nota eorum quæ de aliquo dicuntur: nam quod sit *dictio simplex* & *vox significans* per *impositionem*, ex superioribus hinc *subaudiendum* est.

9. *Consignificat* tempus, sicut supra id explicatum est. Hinc nota, de industria dici, *consignificare*, non *significare*: posterius enim etiam nominibus *competit*. Sic vocabula *annus*, *mensis*, *hora*, tempus



significant, id est, denotant rem  
quæ est tempus: at non consigni-  
ficant, seu præter rem ipsam quam  
significant temporis differentiam  
addunt in qua res illa sit.

Deinde dicitur esse *nota eorum* 10.  
*quæ de alio dicuntur*: cum enim o-  
mne verbum actionem aut passi-  
onem quodam modo denotet, de  
ratione autem tam actionis quam  
passionis sit vt alteri inhæreat,  
proindè fit vt verbum semper de-  
notet accidens aut eiusmodi ali-  
quid quod certo modo de altero  
dicitur, vt, *disputat, currit, viuit,*  
*docet &c.* At nomina etiam sub-  
stantias ipsas exprimunt, vt *homo,*  
*leo, lupus, Petrus, Paulus.*

Sunt autem etiam verba *finita* 11.  
& *infinita*: sed quia in oratione  
non manent infinita, de ijs labo-

D 2 ran-

randum magnopere non est.

12. Casus verò illorum æquè sunt ac Nominum, & ita Logici vocant *modos ac tempora*: modi enim indicatiui & temporis præsentis casus quidam sunt modi & tempora cætera.

13. Nota etiam hîc, modum quem Grammatici infinitivum vocant sæpè non verbum sed Nomen esse: nominis enim loco ponitur. Sic cum dicitur: *Disputare pertinet ad Logicum*, vox *disputare* accipitur pro nomine, & perinde est ac si dicas, *disputatio*.

## CAPVT II.

DE

*Oratione & enunciatione ac hujus speciebus.*

1. **O** Ratio est vox ex simplicibus dictionibus composita, seu

VOX

vox cuius partes separatim aliquid significant, sed tamen vt dictiones non vt affirmationes aut negationes.

Dico partes orationis etiam <sup>2.</sup> separatim aliquid significare: hoc enim ea differt à Nomine & verbo seu simplicibus dictionibus.

Additur significare vt <sup>3.</sup> dictiones non vt affirmationes & negationes: nã oratio cuius ipsæ partes aliquid affirmant aut negant non est vna simplex oratio sed plures, aut certè vna ex pluribus composita.

Porro oratio alia est perfecta <sup>4.</sup> alia imperfecta. Imperfecta quæ perfectam sententiam non exprimit, sicut cum dico: *Liber Aristotelis, Omnis homo qui est doctus & pius.* Perfecta, quæ sententiam perfectam continet, vt: *Liber Aristotelis à me*

38. LIB. II. CAP. II. DE  
lectus est. Omnis homo qui est doctus  
& pius magni est faciendus.

5. Sed & perfectæ multorum  
sunt generum: aliæ enim sunt opta-  
tiuæ, vt: O si veniat Petrus, aliæ in-  
terrogatiuæ, vt: Paule vnde venis?  
aliæ deprecatiue vt: Parce mihi que-  
so: aliæ imperatiuæ, vt: Disce puer  
virtutem, aliæ deniq; enunciativæ,  
vt: Petrus est doctus.

6. Verum enim uerò nec illæ im-  
perfectæ, nec omnes perfectæ à  
Logico curantur, sed solæ perfe-  
ctæ, & earum quidem solæ enun-  
ciatiuæ huc pertinent. Ratio in-  
promptu est, quia ex solis istis syl-  
logismi constant: solæ enim rem  
esse vel non esse dicunt.

7. Est autem *enunciatio* oratio  
quæ verum aut falsum significat,  
vt *Homo est rationalis, Petrus est lapis:*  
id

id enim differt à cæteris orationibus, quod ipsa semper aut verum aut falsum dicat, illæ non item.

Partes enunciationis sunt tres, 8.  
 subjectum, prædicatum & copula.  
*Subjectum* est id de quo aliquid dicitur. *Prædicatum* quod de aliquo dicitur. *Copula* verbum substantivum quod utrumq; connectit, eaque nonnunquam expressè ponitur, nonnunquam in verbo latet. Sic in hac propositione: *Homo est animal*, subjectum est *homo*, prædicatum *animal*, copula verbum est expressè positum. At cum dicitur: *Homo currit*, copula latet in verbo *currit*: perindè enim est ac si dicas, *est currens*.

Nota hîc tam subjectum quam 9.  
 prædicatum interdum vna, interdum pluribus vocibus constare.

Vna constat vtrumq; in exemplis allatis. Plures habent in hac enunciatione: *Homo pietate doctrina ac virtute præstans est ab omnibus meritò laudandus & magnificandus*: subiectum enim hîc est totum illud: *Homo pietate doctrina & virtute præstans*, prædicatum, reliqua omnia quæ copulæ subjiciuntur, nempe: *ab omnibus meritò laudandus & magnificandus*.

20. Cæterum diuiditur ea primò in simplicem & conjunctam. *Simplex* dicitur quæ ex aliis enunciationibus non constat, vt *Homo est animal*. *Conjuncta* quæ ex alijs enunciationibus componitur conjunctis per particulam vnã ex his tribus, *Si, Et, Aut*, vt: *si Petrus est homo est animal*.

21. *Simplex* rursus diuiditur in abso-

ENUNCIATIONE. 41.

absolutam & modalem. *Absoluta* est quæ absolute rem esse vel non esse dicit, *modalis* quæ cum additione unius horum modorum quatuor, *necesse est, contingit, possibile est, impossibile est.*

*Conjuncta* quæ & alias *hypothetica* dicitur subdividitur in *hypotheticam* proprie dictam seu *conditionalem*, *disjunctivam* & *copulativam*, de quibus suo loco. 66-72

CAP. III.

De

*Affectionibus enunciationum absolutarum & primò de Qualitate, Quantitate, Finitate & Infinitate.*

**A**ffectiones enunciationum, quæ quidem ad formam earum spectant, & formæ syllogismi intelligendæ inferuiunt, sunt pri-

¶

¶

42. LIB. II. CAP. III. DE  
mò *Qualitas* earum, id est affirma-  
tio & negatio, *Quantitas*, seu quod  
aliae sint vniuersales, aliae particu-  
lares, aliae indefinitae, aliae singu-  
lares, & *Finitas ac Infinitas*: deinde  
*equipollentia*, *oppositio*, *subalternatio*,  
& *conuersio*. De qualitate, quan-  
titate, finitate & infinitate prius  
dicemus, post de caeteris.

2. *Affirmans* itaq; est enunciatio  
quae praedicatum dicit subiecto  
inesse, vt, *Homo est doctus*. Ne-  
gans quae praedicatum dicit sub-  
iecto non inesse, vt: *Nullus homo est*  
*lapis*. Dicit autem praedicatum  
subiecto non inesse, quando par-  
ticula negans ad copulam spe-  
ctat: tum enim demum praedica-  
tum à subiecto separat. Quod  
si verò non ad copulam, sed alias  
voces respiciat, negantem non  
red-



reddit, vt infrà recti<sup>o</sup> intelligetur.

Enunciatio *vniversalis* est cuius 3.  
 ius subiecto appositum est si-  
 gnum vniversale, puta vnum ex  
 his: *Omnis*, *Quilibet*, *Quicun-*  
*que*, *Nullus*, *Nemo*, aut vox simi-  
 lis, vt: *Omnis homo est bipes*, *Nullus*  
*homo est arbor*. *Particularis* est quæ  
 signum particulare habet, scili-  
 cet: *Quidam*, *Aliquis*, *Nonnul-*  
*lus*, aut simile, vt: *Quidam homo est*  
*doctus*, *Nonnulli homines sunt indocti*.  
*Indefinita* est quæ signum nullum  
 habet, cum tamen vel vniversale  
 vel particulare habere possit, vt:  
*Homo est animal*, *Homo est doctus*.  
*Singularis* deniq; est cuius subje-  
 ctum est res singularis, vt: *Socrates*  
*currit*, *Hic homo est amicus meus*.

Obserua hîc, signum *Omnis* 4.  
 accipi posse dupliciter, collectiuè  
 &

44. LIB. II. CAP. III. DE  
& distributiue: collectiue cum  
dico: *Omnes planetae sunt septem*, id  
est, Planetæ si colligantur, aut si-  
mul sumantur, sunt septem. Di-  
stributiue, vt: *Omnis homo est ani-  
mal*, id est vnusquisq; hominū est  
animal, etiam seorsim sumptus.  
Non facit autem enunciationem  
vniuersalam si collectiue, sed tan-  
tum si distributiue accipiatur.

5. Enunciatio *finita* est cuius  
tām subjectum quam prædicatum  
est terminus finitus, vt: *Homo est  
animal: infinita*, cuius vel subjectū,  
vel prædicatum, vel vtrumq; est  
terminus seu vox infinita. Si sub-  
jectum sit infinitum, vocatur *infi-  
nita infiniti subjecti*, si prædicatum,  
*infinita infiniti prædicati* &c. Infi-  
nita infiniti subjecti est hæc: *Omnis  
qui nō est doctus ille est rudis*, infinita  
infi-

ENUNCIAT. ABSOLUTA. 45.  
infiniti prædicati ista: *Omnis homo  
est non lapis*: deniq; infinita infiniti  
tam subiecti quam prædicati est:  
*Omnis non doctus est non Philosophus.*

Accuratè autem hic obseruan- 6.  
dum est, ne infinitas cum negan-  
tibus confundas. Infinitam con-  
stituit particula negans, quando  
est pars subiecti aut prædicati; ne-  
gantem eadem particula: sed  
quum ad copulam non ad subie-  
ctum aut prædicatum pertinet.  
Sic infinita est ista: *Omnis qui non  
est doctus est rudis*, quia particula  
negans pars est subiecti. Infinita  
est & hæc: *Omnis homo est non lapis*,  
quia particula negans pars est  
prædicati. At hæc est negans: *O-  
mnis homo non est arbor*: particula e-  
nim negatiua nec ad subiectum  
ho-

46. LIB. II. CAP. IV. DE  
homo, nec ad prædicatum arbor,  
sed ad copulam spectat.

CAPVT IV.

De

*Affectionibus cæteris & primò de Æ-  
quipollentia.*

1. **Æ**quipollentia duplex est, pro-  
priè & impropriè dicta. Pro-  
priè dicta est quum duæ enuncia-  
tiones vnâ & alterâ negatione  
differunt, sed eodem aliâs subje-  
cto eodemq; prædicato constant  
ac idem planè significant, adeò  
vt quoties vna vera est vera sit &  
altera, quoties item vna falsa to-  
ties & altera, vt: *Omnis homo non  
est arbor, Nullus homo est arbor.*

2. Possunt autem æquipollentes  
hac tabula ab oculos poni:

Vniuersales affirmantes sunt:  
*Omnis homo est animal,*

*Null-*

*Nullus homo non est animal.*

*Non quidam homo non est animal.*

Particulares affirmantes:

*Quidam homo est doctus.*

*Non omnis homo non est doctus.*

*Non nullus homo est doctus.*

Universales negantes:

*Nullus homo est arbor.*

*Omnis homo non est arbor.*

*Non quidam homo est arbor.*

Particulares negantes:

*Quidam homo non est doctus.*

*Non omnis homo est doctus.*

*Non nullus homo non est doctus.*

Equipollentia improprie dicta  
appellatur, quando finitæ & infi-  
nitæ ad se inuicem consequun-  
tur. Hæcæquipollent vniuersa-  
lis negans finiti prædicati & vni-  
uersalis affirmans infinita infiniti  
prædicati, vt: *Nullus homo est do-*  
*ctus*

*Etus, Omnis homo est non doctus. Item particularis affirmans finita & particularis negans infinita infiniti prædicati, vt: Quidam homo est doctus, Quidam homo non est non doctus.*

## CAPVT V.

De

Oppositione.

1. **O**ppositio est pugna duarum enunciationum cum idem de eadem re vna affirmat, altera negat. Habet quinque species, contradictoriam, contrariam, subcontrariam, indefinitarum oppositionem & singularem.
2. **O**ppositio *contradictoria* est quum vna propositionum est vniuersalis affirmans, altera particularis negans, vel, vna vniuersalis  
ne-

negnans, altera particularis affir-  
mans, vt: *omnis homo est rationalis*,  
*Quidam homo non est rationalis*, vel:  
*Nullus homo est rationalis*, *Quidam*  
*homo est rationalis*.

Contraria est inter duas enun- 2.  
ciationes vniuersales, vt: *Omnis ho-*  
*mo est doctus*, *Nullus homo est doctus*.

Subcontrariè opponuntur duæ 4.  
particulares, vt: *Quidam homo est*  
*doctus*, *Quidam homo non est doctus*.

Indefinitarum oppositio est 3.  
quando duæ indefinitæ inter se  
opponuntur, vt: *Homo est animal*,  
*Homo non est animal*.

Singularis est duarum singula- 6.  
rium, vt: *Paulus currit*, *Paulus non*  
*currit*.

Cæterum habent singulæ op- 7.  
positionis species peculiare suas  
leges, excepta indefinitarum &

E

sin-

30. LIB. II. CAP. V. DE  
singularium oppositione: hujus  
enim conditio est eadem quæ  
contradictoriæ, illius eadem quæ  
subcontrariæ.

8. Contradictoriè oppositarum  
hæc natura & lex est, vt vnâ verâ  
semper falsa sit altera, & vnâ falsâ  
semper vera altera. Sic si vera est  
hæc: *Nullus homo est lapis*, falsa est  
ista, *Quidam homo est lapis*: & con-  
tra, si falsa illa: *Omnis homo est lapis*,  
vera ista, *Quidam homo non est lapis*  
&c. Nec fieri aliter potest: vnâ  
enim eandemq; rem simpliciter  
vna dicit esse, altera, non esse. I-  
dem autem non posse simul esse &  
non esse tam manifestum est, vt  
nihil in vniversum sit manifestius.

9. Contrariæ hanc habent na-  
turam vt interdum simul falsæ es-  
se possint, at nunquam simul ve-  
ræ.



OPPOSITIONE.

58

Ita simul falsæ sunt hæ: *Nullus homo est doctus, Omnis homo est doctus.*

Sub contrariæ autem interdum <sup>10.</sup> sunt simul veræ, at nunquam simul falsæ. Simul veræ sunt hæ: *Quidam homo est doctus, Quidam homo non est doctus.*

Indefinitarum oppositio, ut <sup>11.</sup> dixi, eandem legem cum subcontrarijs habet, idq; ideò quia indefinitæ vi formæ tantum particularibus æquivalent, etsi ratione materiæ interdum etiam vniuersales inferunt. Sed hoc per accidens est & non perpetuum. At singularium oppositio easdem leges habet cum contradictorijs, quia sicut illarum vnâ verâ semper falsa est altera, & contrà, ita etiam hæ nunquam aut simul veræ aut simul falsæ esse queunt.

E 2

CA.

1. **S**ubalternatio propositionum  
est, quando vna alteram inclu-  
dit. Vnde propositionum vna  
*subalternans*, altera *subalternata* di-  
citur.

2. *Subalternans* dicitur vniuersa-  
lis, *subalternata* particularis, quæ  
ab ea includitur, id est, idem cum  
illa subjectum & prædicatum, ean-  
demq; qualitatem habet. Ita hæc:  
*Omnis homo est animal*, subalternat  
sibi hanc: *Quidam homo est animal*  
& hæc: *Nullus homo est lapis*, istam:  
*Quidam homo non est lapis.*

3. Possunt etiam singulares in-  
ter subalternatas recenseri: mi-  
nus propriè tamen ita dicuntur:

*etsi*

etsi enim hæc: *Omnis homo est animal*, includit etiam istam: *Paulus est animal*, non tamen id fit nisi mediante hac: *Quidam homo est animal*, quæ propriè idem cum illa vniuersali subiectum & prædicatum habet.

Duæ autem *regule* tenendæ sunt de subalternatione. *Prima* est: Quoties subalternans est vera, toties etiam veram esse subalternatam. Ita si vera est hæc: *Omnis homo est animal* vera est & ista: *Quidam homo est animal*. Si item vera hæc: *Nullus homo est lapis*, vera & ista: *Quidam homo non est lapis*.

At non licet inuertere, vt quoties vera est subalternata, vera sit etiam subalternans. Sic vera est hæc: *Quidam homo est doctus*, tamen & ista eius subalter

54. LIB. II. CAP. VI. DE  
*mnis homo est doctus. Vera etiam  
est: Quidam homo non est Italus, nec  
vera tamen subalternans: Nullus  
homo est Italus.*

6. *Secunda regula: Quoties sub-  
alternata est falsa toties falsa est  
etiam subalternans. Sic quia falsa  
est hæc subalternata: Quidam homo  
est lapis, falsa etiã est ista subalter-  
nans: Omnis homo est lapis. Itẽ si falsa  
est hæc: Quidam homo non est animal,  
falsa est & ista: Nullus homo est animal.*

7. *Sed neq; hanc regulam inuer-  
tere licet, vt falsã subalternante  
falsam dicas statim & subalterna-  
tam. Sic falsa est hæc: Omnis homo  
est doctus, nec tamen falsa subal-  
ternata: Quidam homo est doctus. I-  
tem falsa est subalternans: Nul-  
lus homo est doctus, sed vera subal-  
ternata: Quidam homo non est doctus.*

CA-

## CAPVT VII.

De

## Conuersione.

**C**onuersio enunciationum est <sup>1.</sup>  
 quum salua veritate ex subje-  
 cto enūciationis fit prædicatum,  
 & ex prædicato subjectum, vt si  
 dicas: *Nullus homo est lapis, Nullus  
 lapis est homo.* Vtraq; vera est, sed  
 subjectum prioris fit prædicatum  
 posterioris, & prædicatum prio-  
 ris fit subjectum posterioris. Quæ  
 conuertitur dicitur *conuersa*, in  
 quam autem conuertitur seu per  
 quam conuertitur, *conuertens*.

Est autem conuersio *triplex*, <sup>2.</sup>  
 Simplex, Per accidens, & per  
 Contrapositionem.

Conuersio *simplex* est quum <sup>3.</sup>  
 simpliciter ex subjecto fit prædi-  
 catum & ex prædicato subjectum

manente eadem quantitate & qualitate enunciationum. Hac conuertitur *uniuersalis negans*, & *particularis affirmans*. Sic hæc *uniuersalis negans*: *Nullus homo est lapis*, conuertitur in istam *uniuersalem similiter, & negantem*: *Nullus lapis est homo*. Et hæc *particularis affirmans*: *Quidam homo est doctus*, in istam *itidem particularem affirmantem*: *Quoddam doctum est homo*.

4. *Conuersio per accidens* est quum ita conuertitur enunciatio, vt maneat eadem qualitas sed mutetur quantitas. Hac conuertitur *uniuersalis affirmans* in *particularem affirmantem*, vt: *Omnis homo est bipes*, *Quoddam bipes est homo*: Non potest autem *uniuersalis affirmans* conuerti *uniuersaliter*, vt
- uni-

vniuersalis negans, quia aliàs verâ  
 existente conuersâ falsa fiat con-  
 uertens. Sic vera est conuersa il-  
 la: *Omnis homo est bipes*, falsa autem  
 conuertens: *Omne bipes est homo*,  
 cum etiam gallinæ, ciconiæ, cor-  
 ui, bipedes sint.

Conuersio *per contrapositionem* 5.  
 est quum ita enunciatio conuer-  
 titur vt ex finita negante fiat infi-  
 nita affirmans, vel contra ex finita  
 affirmante infinita negans.

Hac conuertuntur *vniuersalis* 6.  
*affirmans & particularis negans*. V-  
 niuersalis affirmans quidem fini-  
 ta conuertitur in vniuersalem ne-  
 gantem infinitam infiniti subje-  
 cti, vt: *Omnis homo est animal*, *Omne*  
*quod non est animal non est homo*. Par-  
 ticularis autem negans finita fini-  
 ti prædicati in particularem infi-

58. LIB. II. CAP. VII. DE  
nitam infiniti subjecti, vt: *Quidam  
homo non est doctus* E. *Quoddam non  
doctum est homo.*

7. Nota hic, in conuersione per  
contrapositionem non planè i-  
dem subjectum aut prædicatum  
manere, sed eatenus tantum vt i-  
dem terminus qui est finitus in v-  
na enunciatione sit infinitus in  
altera.

#### CAPVT IIX.

##### *De Enunciationibus modalibus.*

1. **D**ictum est suprà enunciatio-  
nem simplicem esse vel ab-  
solutam vel modalem. De abso-  
lutis dictum est: de *modalibus* do-  
ctrina difficilior & intricatior est,  
quam vt plenè in rudimentis  
tradi possit aut à tironibus per-  
ci-



cipi: quare verbo tantum eas attingemus.

Recolendum autem hic est enunciationem modalem id differre ab absoluta, quod absoluta absolutè rem esse aut non esse dicat, modalis cum certa aliqua determinatione. Sic absolutè rem dicit qui ait: *Homo est animal*, at cum determinatione, qui ait: *Necesse est hominem esse animal*, seu, *Homo necessariò est animal*. 2.

Determinatio illa est modus. 3. Unde duo distinguenda sunt in enunciatione modali *dictum & modus*. Dictum appellatur enunciatio absoluta cui apponitur modus. Modus est vnum ex his: *Necesse est, Contingit, Possibile est & Impossibile est*. Sic in hac enunciatione: *Necesse est hominem esse animal,*

60. LIB. II. CAP. IIX. DE  
*mal*, dictum est, *hominem esse animal*,  
modus: *necesse est*.

4. Nota hîc, esse nonnulla alia  
quæ modorum speciem habeant  
sed modi reuera non sint, vt si di-  
cas: *Omnem hominem esse animal ve-*  
*rum est*, *Esse homines capita non ha-*  
*bentes non est credibile*. Hîc *verum*  
*est*, *credibile est*, modi videntur ef-  
se sed reuera non sunt. Vnde nec  
istæ aut similes enunciationes  
sunt modales, nec ex iis syllogi-  
smi fieri possunt.

5. *Necessarium* autem dicitur  
quod non potest non esse, *Con-*  
*tingens* quod est & potest non esse  
*Possibile* quod non est, sed potest  
esse, *Impossibile* quod esse planè  
nequit.

6. *Qualitas* modalium duplex  
est, alia quæ concernit modum,  
ali-

ENUNCIAT. MODALIB. 61.

alia quæ dictum. Prior est cum  
 modus affirmatur aut negatur:  
 posterior cum dictum. Sic ratio-  
 ne modi affirmant hæ omnes:  
*Neceſſe eſt Socratem eſſe hominem,*  
*Poſſibile eſt Socratem eſſe doctum:*  
*Contingit Socratem ambulare, Impoſ-*  
*ſibile eſt Socratem eſſe equum: imò i-*  
*ſtæ quoq;: Neceſſe eſt Socratem non*  
*eſſe lapidem, Poſſibile eſt aut contin-*  
*git Socratem non eſſe doctum &c.*  
 quamquam enim in his poſtremis  
 dictum negans eſt, modus tamen  
 non negatur. Negantes ſunt hæ:  
*Non neceſſe eſt hominem eſſe doctum,*  
*Non poſſibile eſt hominem eſſe lapi-*  
*dem, Non contingit hominem eſſe ani-*  
*mal, Non impoſſibile eſt &c.* Quæ au-  
 tem ratione dicti affirmant aut  
 negent, per ſe notum eſt.

Porro etſi utraq; qualitas ob- 70.  
 ſer-

62. LIB. II. CAP. IIX. DE  
seruari hîc debet, præcipuè ta-  
men attenditur quæ ad modum  
pertinet: nam hæc in modalibus  
principalis est: vnde ea proposi-  
tio, cuius modus affirmatur, affir-  
mans absolutè, & cuius modus  
negatur, negans absolutè appel-  
latur.

8. *Quantitas* similiter se habet vt  
qualitas: nam est & ipsa duplex.  
Principalis est modi, minus prin-  
cipalis dicti. *Quantitas* dicti ex  
doctrina absolutarum enuncia-  
tionum nota est. Quæ autem  
modum spectat sic se habet. V-  
niuersales modi sunt: *Necesse* &  
*Impossibile*, particulares, *Contin-*  
*git* & *Possibile*. Cauſa est quod  
necessarium & impossibile com-  
plectuntur omne tempus, cæteri  
duo modi aliquod tantum: ne-  
ces-

cessarium enim perpetuò rem ponit, impossibile perpetuò tollit: at possibile & contingens nonnunquam rem esse, nonnunquam non esse significant.

Vniuersales itaq; in modalibus sunt non tantum hæ: *Necesse est omnem hominem esse animal, Impossibile est nullum hominem esse lapidem: sed & istæ: Necesse est aliquem hominem esse animal, Impossibile est aliquem hominem esse lapidem.* Particulares similiter non tantum illæ: *Contingit aut possibile est quendam hominem esse doctum, sed istæ quoq;: Contingit omnem hominem esse doctum, Possibile est nullum hominem esse doctum.*

*Æquipollentia ita conficitur, si* <sup>10.</sup> *obserues duas regulas sequentes. Primò vt modi omnes sint ejusdem*

64. LIB. II. CAP. IIX. DE  
dem quantitatis. Fit autem mo-  
dus vniuersalis particularis, & par-  
ticularis contra vniuersalis si ne-  
gatio præponatur, vt etiam de si-  
gnis res se habet in absolutis. *Se-  
cundò* vt dicta enunciationum ex  
possibili, contingenti & impossi-  
bili contradicant dicto enuncia-  
tionis ex necessario.

11. Possunt autem quatuor con-  
stitui tabellæ.

Prima est.

*Necesse est omnem hominem esse ani-  
mal.*

*Non contingit aliquem hominem non  
esse animal.*

*Non possibile est aliquem hominem  
non esse animal.*

*Impossibile est aliquem hominem non  
esse animal.*

Secunda.

*Non*

ENUNCIAT. MODALIB. 63.

Non necesse est nullum hominem esse  
animal.

Contingit aliquem hominem esse ani-  
mal.

Possibile est aliquem hominem esse ani-  
mal.

Non impossibile est aliquem hominem  
esse animal.

Tertia.

Necesse est nullum hominem esse ani-  
mal.

Non contingit aliquem hominem esse  
animal.

Non possibile est aliquem hominem esse  
animal.

Impossibile est aliquem hominem esse  
animal.

Quarta.

Non necesse est omnem hominem esse  
animal.

F

Con-

66. LIB. II. CAP. IX. DE  
*Contingit aliquem hominem non esse a-*  
*nimal.*

*Possibile est aliquem hominem non es-*  
*se animal.*

*Non impossibile est aliquem hominem*  
*non esse animal.*

12. Ita se habet æquipollentia mo-  
daliū, vt ab Aristòtele traditur:  
etsi aliquid adhuc in ea est diffi-  
cultatis, qua de re hic dicendum  
non est.

13. Postremò oppositio & con-  
uersio hoc loco plus negotij fa-  
cessunt, & intricatior tractatio  
est vtraq; quàm vt huic compen-  
dio inseri possit: ideò eas præter-  
mittimus.

CAPVT IX.

*De*

*Enunciationibus conjunctis seu*  
*hypotheticis.*

*Enun-*



**E**nunciationem conjunctam, seu hypotheticam late dictam, esse quæ ex alijs enunciationibus componatur, supra monuimus. Diximus etiam tres ejus esse species, conditionalem seu hypotheticam proprie dictam, disjunctiuam & copulatiuam.

Hoc loco id præterea nota, conjunctas componi plerumque quidem ex alijs simplicibus enunciationibus, vt: *Si Petrus est homo est animal*, interdum tamen etiam ex alijs conjunctis: vt: *Si est animal vel est rationale vel est irrationalis*.

*Conditionalis* seu hypothetica proprie dicta est quum duæ enunciationes simplices connectuntur per conjunctionem *Si*, vt:

F 2

Si

68. LIB. II. C P. IX. DE  
*Si homo est animal est.* Partes ea ha-  
bet antecedens & consequens:  
*antecedens* est enunciatio simplex,  
quæ supponitur, *consequens*, sim-  
plex quæ consequitur.

5. *Vera est vel falsa*, non si sim-  
plices veræ aut falsæ sint, sed si ve-  
rè vel falsò vna ad alteram conse-  
quatur. Ita hæc vera est: *Si lapis  
est homo, est animal*: posito enim  
quod lapis sit homo verè conse-  
quitur animal esse. Et tamen  
falsissima est vtraq; simplex, puta:  
*Lapis est homo, Lapis est animal.* At  
falsa est hæc: *Si Petrus est doctus est  
Iurisconsultus*: nec enim vnum ad  
alterum sequitur, etsi vtraq; sim-  
plex vera esse potest, videlicet:  
*Petrus est doctus, Petrus est Iuriscon-  
sultus.*

6. *Disiunctiva est* quum duæ aut  
plu-

ENUNCIAT. CONIUNCTA. 69.

plures enunciationes simplices  
 connectuntur per particulam dis-  
 junctiuam, *Aut, Vel, & similem:*  
 vt: *omnis homo aut est doctus aut non*  
*est doctus.*

*Vera* est, cum vna simplicium 7.  
 est vera & altera vel reliquæ (si ex  
 pluribus quàm duabus constet)  
 falsæ. *Falsa*, cum vtraq; vel omnes  
 simplices falsæ sunt, imò etiam  
 cum omnes simplices veræ. Sic  
 vera est hæc: *Petrus aut est doctus,*  
*aut non est doctus:* alterutrum enim  
 de eo verum esse oportet. At fal-  
 sa est hæc: *Petrus aut est Italus aut*  
*Germanus:* vtrumq; enim falsum  
 esse potest. *Falsa* item, seu inepta  
 potius, ista: *Petrus aut est homo, aut*  
*est rationalis:* vtrumq; enim horum  
 verum est non alterutrum.

*Copulatiua* est cum duæ vel plu-

70. LIB. II. CAP. IX. DE  
res enunciationes simplices con-  
nectuntur per particulam copu-  
latiuam *Et*, vt: *Homo & est animal*  
*& est rationalis.*

9. *Vera* est si vtraq; vel omnes  
simplices veræ sint; *Falsa* si falsa  
existat vel vna earum. Sic vera est  
hæc: *Homo & est rationalis & risibi-*  
*lis & disciplinarum capax*: veræ e-  
nim sunt omnes simplices ex qui-  
bus componitur, scilicet: *Homo*  
*est rationalis, Homo est risibilis, Ho-*  
*mo est disciplinarum capax.* At falsa  
est ista: *Homo & est rationalis & di-*  
*sciplinarum capax & lapis*: vltima e-  
nim simplicium falsa est.

10. Affectiones conjunctarum sunt  
*qualitas & oppositio*: quantitatem  
enim, æquipollentiam & conuers-  
sionem propriè non habent, vel  
si habent, magno vsui non sunt.

Non

ENUNCIAT. CONIUNCTA. 7R.

Non dependet autem quali-<sup>11.</sup>  
 tas earum à partibus conjunctæ  
 affirmatis vel negatis, sed in eo  
 consistit, vt ipsa connexio parti-  
 um siue simplicium enunciatio-  
 num affirmetur vel negetur. Sic  
 affirmans conditionalis non tan-  
 tum est hæc: *Si Petrus est homo est*  
*animal*, cuius simplices sunt affir-  
 mantes, sed ista etiam: *Si non est*  
*homo non est doctus*. Similiter affir-  
 mat hæc disiunctiua: *Petrus aut*  
*non est doctus aut est doctus*, & ista  
 copulatiua: *Petrus & non est do-*  
*ctus & non est mathematicus*. Ne-  
 gantes autem sunt hæc: *Non si Pe-*  
*trus est homo est animal*, *Non si non*  
*est homo non est doctus*, *Non*, *Petrus*  
*aut non est doctus aut est doctus* &c.  
 negantes enim non sunt coniun-  
 ctæ, nisi particula negans toti

enunciationi præponatur.

12. *Oppositio conjunctarum tantum contradictoria est. Fit autem contradictio si vna simpliciter neget quod affirmat altera. Sic contradictoriæ sunt ex hypotheticis hæ: Si animal volat habet alas, Non si animal volat habet alas, ex disjunctiuis istæ: Homo aut est rationalis aut irrationalis, Non aut homo est rationalis aut irrationalis, Ex copulatiuis deniq; hæ: Et homo est rationalis & lapis, Non & homo est rationalis & lapis.*



## LIBER TERTIVS.

De

### SYLLOGISMO.

CAPVT I.

De

*De*  
*Definitione & partibus Syllo-*  
*gismi.*

**E**xplicatâ formâ propo-  
 sitionum accedendum<sup>1.</sup>  
 est ad formam ipsius  
 syllogismi. Vbi expo-  
 nendum est primò quid sit syllo-  
 gismus, & quæ ejus partes inte-  
 grantes, deinde quot figuras ha-  
 beat forma syllogismorum, &  
 quot vnaquæque harum modos,  
 quomodo reducantur syllogismi  
 cæterarum figurarum ad primam,  
 item quæ horum omnium ratio  
 sit, non tantum in syllogismis qui  
 ex absolutis propositionibus  
 constant, sed etiam qui ex moda-  
 libus & conjunctis.

Est autem syllogismus oratio,<sup>2.</sup>  
 in qua positis quibusdam diuer-

F 5                      sum

74. LIB. III. CAP. I. DE  
sum quid à positis sequitur ex ne-  
cessitate, eò quod illa posita sint.

3. Dicitur esse *oratio*: intelligi-  
tur autem tam ea quæ mente con-  
cipitur, quàm quæ voce exprimi-  
tur: nec enim necesse est vt oratio  
omnis ore proferatur, etsi inde  
nomen primùm accepit, & per  
vocem etiam definitur.

4. Dicitur porrò, *in ea quædam*  
*poni*, puta duas enunciationes præ-  
mitti seu proponi (quæ indè præ-  
missæ & propositiones propriè  
appellantur) & *ijs positis sequi di-*  
*uersum quid ab iis*, id est tertiam e-  
nunciationem, quæ ex illis colli-  
gitur, & conclusio vocatur. Dici-  
tur deniq; sequi illam *ex necessita-*  
*te*, & ideò quia duæ illæ priores  
positæ sint: id est, ita vt semper e-  
ius-



iusmodi conclusio ex talibus præmissis efficiatur.

*Partes syllogismi integrales* s.  
 (nam ipsa forma & materia partes essentielles sunt) aliæ sunt propinquæ, aliæ remotæ. Propinquæ sunt *propositiones* seu enunciationes, remotæ *termini*. Enunciationes ad syllogismum omnem requiruntur tres: duæ nempe præmissæ & tertia conclusio. Præmissarum prior dicitur maior propositio; posterior minor, vel assumptio. Terminus vocatur subiectum aut prædicatum enunciationis in syllogismo positæ. - Et sunt totidem quot propositiones, sed singuli bis repetuntur, ut ita tres propositiones constituent. Vocantur autem maior, minor, medius. Major dicitur qui fit præ-

76. LIB. III. CAP. II. DE  
prædicatum in conclusione, mi-  
nor qui subjectum, medius qui  
conclusionem non ingreditur. Ita  
in hoc syllogismo:

*Omnis homo est rationalis,*

*Petrus est homo,*

*E. Petrus est rationalis.*

major est *rationalis*, minor *Petrus*,  
medius *homo*: vox enim *rationalis*  
prædicatum est conclusionis, *Pe-*  
*trus* subjectum, *homo* autem ex-  
tra conclusionem est.

CAPVT II.

*De*

*Fundamento formæ Syllogi-*  
*sticæ.*

- i. **F**orma syllogismi tota in eo  
consistit, vt ex his quæ posita  
sunt aliquid sequatur, idq; ex ne-  
cessitate ac semper, sicut ex defi-  
nitio-

nitio[n]e syllogismi patuit: vnde  
eadem forma aliàs *consequentia* syl-  
logistica appellatur.

An autem aliquid sequatur, <sup>2.</sup>  
ex terminorum dispositione &  
propositionum qualitate ac quã-  
titate æstimandum est: quod si e-  
nim & termini ipsi rectè dispo-  
nantur, & propositiones legiti-  
mam tum quantitatem tum qua-  
litatem habeant, rectè & ex neces-  
sitate sequitur quod ex ijs colli-  
gitur: sin minus, nihil sequitur ni-  
si rarò & per accidens tantum.

Quomodo verò disponendi <sup>3.</sup>  
sint termini, & quæ quantitas ac  
qualitas esse debeat proportio-  
num, vt forma & consequentia  
syllogismi legitima sit, ex duobus  
principijs cognoscitur, quorum  
vnum omnium syllogismorum  
af-

78. LIB. III. CAP. II. DE  
affirmantium, alterum omnium  
negantium fundamentum existit.

4. Fundamentum affirmantium  
(ita autem vocantur qui conclu-  
sionem affirmantem habent, sicut  
negantes qui negantem,) est hæc  
propositio: *Quicquid prædicatur de  
omni hoc etiam dicitur de cunctis que  
sub illo continentur, sicut quod dici-  
tur de omni homine, hoc neces-  
sario etiam dicitur de Italo: nam  
Italus sub homine comprehendi-  
tur. Vulgò vocant dictum seu di-  
ci de omni.*

5. Fundamentum negantium est  
ista propositio: *Quicquid remoue-  
tur ab omni idem remouetur etiam à  
cunctis que sub illo comprehenduntur.*  
Ita cum lapis negetur de homine,  
necesse est eundem etiam de Italo  
negari, quia & Italus homo est.

Vul-

Vulgò dictum de nullo seu dici de nullo appellatur.

Fundamenta autem ea esse formæ syllogismorum inde patet, quòd integri syllogismi nihil aliud sint quàm ipsa ista dicta. Ita hic syllogismus: *Omnis homo est animal, Omnis Italus est homo, Ergo omnis Italus est animal*, dictum de omni representat: cum enim omnis homo dicatur animal, & Italus contineatur sub homine, nõ potest non etiam Italus dici animal. Similiter hic: *Nullus homo est lapis, Omnis Germanus est homo E. Nullus Germanus est lapis*, dictum de nullo expressè continet: cum enim lapidem esse remoueatur ab omni homine, & Germanus dicatur contineri sub homine, necess.

80. LIB. III. CAP. II. DE  
cesse est idem illud à Germano  
quoq; remoueri.

7. Sanè sunt etiam syllogismi qui  
expressè non repræsentant dicta  
illa: sed illi tamen ita comparati  
esse debent, vt in tales, quoties li-  
bet, commutari possint. Vnde &  
ipforum consequentia ex dictis  
illis robur habet.

8. Postremo veras esse illas pro-  
positiones seu dicta, & infallibilia,  
inde certum est, quia principia  
sunt naturâ nota & à Deo ipso  
mentibus nostris inscripta: sicut  
enim natura ipsa docet: *Bis duo es-  
se quatuor, Parentes esse honorandos,*  
ita eadem dicitat: *Quod de omni af-  
firmatur vel negatur idem affirmari  
vel negari debere de cunctis quæ sub il-  
lo continentur.* Vnde & ipsa for-  
ma syllogismi, si legitima sit, falle-  
re

SYLLOGISMO. 81.

re non potest, imò non ab homi-  
ne excogitata est, sed à Deo insti-  
tuta in natura, & ab hominibus  
animaduersa tantum, vt eam di-  
scere aut docere possint, sicut B.  
Augustinus loquitur lib. 2. de  
doctr. Christiana cap. 31.

CAP. III.

De

*Numero figurarum & regulis com-  
munibus consequentia syllo-  
gistica.*

**F**ormam syllogisticam in di-  
spositione terminorum & quã-  
titate ac qualitate proposi-  
tionum consistere diximus. Dispo-  
sitione autem illa potest esse triplex,  
ita vt rectè aliquid & juxta illa di-  
cta duo colligatur: vel enim me-  
dius terminus est subiectum in  
majore propositione & prædica-  
tum

82. LIB. III. CAP. III. DE  
tum in minore seu assumptione,  
vel idem medius est prædicatum  
in vtraq; præmissarum, vel deniq;  
est subiectum vtrobiq;

2. Et hinc tres figuræ syllogi-  
smorum constituuntur: prima,  
quæ primam illam dispositionem  
medij habet, secunda, quæ alte-  
ram, tertia, quæ tertiam. Pote-  
rat addi quarta dispositio, quum  
scilicet medius est prædicatum in  
majore & subiectum in minore &  
ex qua Galenus etiam quartam fi-  
guram conficere voluit, vt testa-  
tur Auerroës lib. I. prior cap. 23.  
sed illa tum dispositio tum figura  
inutilis est, vt alibi docetur.

3. Cæterum sicut dispositio di-  
uersa medij diuersas figuras pepe-  
rit, ita quantitatis ac qualitatis  
variatio diuersos in vnaquaq; earū  
pro-



SYLLOGISMO.

83.

producit modos. Sed hac de re infra, nūc de figuris dicere pergam.

Est autem exemplum primæ 4.  
figuræ si argumenteris sic:

*Omnis homo est rationalis,*

*Petrus est homo,*

*E. Petrus est rationalis.*

Medius terminus hīc est homo: & is subjectum est majoris ac prædicatum minoris.

Exemplum secundæ est hoc: 5.

*Omnis homo est rationalis,*

*Lapis non est rationalis,*

*E. Lapis non est homo.*

Medium est rationalis: id autem tam in majori quam minori prædicatur.

Tertiæ exemplum est: 6.

*Omnis homo est rationalis,*

*Omnis homo est bipes,*

*E. Quoddam rationale est bipes.*

G 2

Me-

34. LIB. III. CAP. III. DE  
Medium est homo, idq; in vtraque  
præmissarum subjicitur.

7. His tribus figuris omnis legi-  
tima ratio concludendi seu argu-  
mentandi continetur. Verum  
quia non sufficit figurarum harum  
vnam tenere, nisi etiam legiti-  
mum in vnaquaq; modum obser-  
ues, de omnibus illis figuris figil-  
latim agendum est. Antequam au-  
tem id fiat regulæ nonnullæ con-  
sequentiæ notandæ sunt, o-  
mnibus figuris communes.

8. *Prima.* Non est bona forma  
argumentandi quâ aliquando &  
in certa materia ex veris præmis-  
sis colligitur verum, sed quâ in o-  
mni materia & semper: id enim  
est quod in definitione syllogi-  
smi dicitur, conclusionem sequi  
de-

debere ex necessitate & ideò quia illa posita sint.

*Secunda.* Mala forma est non quâ semper sed qua vel semel ex veris falsum concluditur: nullus enim syllogismus tam malus est, quin interdum verum concludat.

*Tertia.* Conclusionem esse veram & eandem sequi ex præmissis idem non est: potest enim conclusio esse vera, & tamen ex præmissis non sequi, & rursus potest conclusio legitimè ex præmissis sequi nec tamen vera esse. Sic si ita argumenteris:

*Omnis homo est bipes,*

*Equus non est homo,*

*E. Equus non est bipes.*

Conclusio vera est, nec tamen sequitur ex istis præmissis, vt infra

86. LIB. III. CAP. III. DE  
intelligetur. Si autem talem Syl-  
logismum facias:

*Omnis homo est equus,*

*Omnis lapis est homo,*

*E. Omnis lapis est equus.*

Conclusio rectè sequitur: est e-  
nim syllogismus primæ figuræ  
primi modi, & tamen conclusio  
falsa est quia præmissæ falsæ sunt.

21. *Quarta.* Ex puris particula-  
ribus nihil legitimè sequitur, vt:

*Quidam homo est doctus,*

*Quidam rudis est homo,*

*E. Quidam rudis est doctus.*

22. *Quinta:* Nec ex puris negan-  
tibus, vt:

*Nullus homo est lapis,*

*Nullus adamas est homo,*

*E. Nullus adamas est lapis.*

23. *Sexta.* Non debent plures  
termini in syllogismo esse quam  
tres:

tres: alioqui nihil necessario sequitur, ut:

*Qui est homo ille est rationalis,*

*Bucephalus est equus,*

*E. Bucephalus est rationalis.*

Vel:

*Omnis homo est rationalis,*

*Imago Paulli est homo pictus,*

*E. Imago Paulli est rationalis.*

*Septima.* Conclusio semper <sup>14.</sup> debet imitari partem syllogismi debiliorem, id est, si vna praemissarum sit negans negare non affirmare, si item vna sit particularis, particularis esse non vniuersalis. Vnde male concludit hic syllogismus:

*Omnis homo est rationalis,*

*Quoddam bipes est homo,*

*E. Omne bipes est rationale.*

Conclusio enim vniuersalis est, &

88. LIB. III. C P. IV. DE  
tamen minor est particularis. Si-  
militer & iste malè concludit:

*Nullus homo est lapis,*

*Omnis adamas est lapis,*

*E. Omnis adamas est homo:*

Conclusio enim negans esse de-  
bet quia & præmissarum vna ne-  
gat.

CAPVT IV.

DE

*Prima figura.*

**P**rima figura est, vt diximus,  
quando medius terminus est  
subjectum in maiore propositio-  
ne & prædicatum in minore. Ha-  
bet illa quatuor modos, quibus  
legitimè concludi aliquid potest.  
Discernuntur autem illi, sicut &  
modi cæterarum figurarum, per  
certa vocabula, quorum plæraq;  
aliàs nihil significant. Idque fit  
per

per vocales quas continent, quæ  
 qualitatem & quantitatem pro-  
 positionum denotant: ex vtraq;  
 enim modos nasci suprâ monui-  
 mus. Denotatur autem tum hîc  
 tum in cæteris figuris vniuersalis  
 affirmans per vocalem A, vniuer-  
 salis negans per E, particularis  
 affirmans per I, particularis ne-  
 gans per O.

Primus itaq; modus est *Bar-* 2.  
*bara*, id est, constat ex omnibus  
 propositionibus vniuersalibus &  
 affirmantibus, vt:

Bar *Omne animal sentit,*

ba *Omnis homo est animal,*

ra *E. Omnis homo sentit.*

Secundus est *Celarent*, id est, 3.  
 habet maiorem vniuersalem ne-  
 gantem, minorem vniuersalem  
 affirmantem & conclusionem rur-

G 5

fus

90. LIB. III. CAP. IV. DE  
sus vniuersalem negantem, ut:

Ce Nullum animal est lapis,  
la Omnis homo est animal,  
rent E. Nullus homo est lapis.

4. Tertius est *Darii*, vbi scilicet  
major affirmat vniuersaliter, mi-  
nor & conclusio particulariter,  
vt:

Da Omne animal sentit,  
ri Quoddam corpus est animal,  
i E. Quoddam corpus sentit.

5. Quartus denique est *Ferio*,  
quum videlicet maior est negans  
vniuersalis, minor particularis af-  
firmans, & conclusio particularis  
negans, vt:

Fe Nullus homo est lapis:  
ri Quoddam corpus est homo:  
o E. Quoddam corpus nō est lapis.

6. Plures modi non sunt quibus  
in hac figura legitimè concluda-  
tur:



etur: legitimè inquam, id est, vt toties diximus, ex necessitate & semper.

*Duæ autem regulæ obseruanda sunt de hac figura. Prima est: Maior semper debet esse vniuersalis. Sin minus, malè concluditur, vt:*

*Quidam homo est doctus,*

*Omnis rudis est homo,*

*E. Quidam rudis est doctus.*

Conclusio est falsa: at veræ præmissæ. Mala itaque forma est & nihil sequitur: nam quæ vel semel ex veris falsum concludit nihil valet, vt diximus cap. præcedenti num. 9.

*Altera regula est: Minor semper debet esse affirmans: nam si negans sit, nihil rectè sequitur, vt:*

*Omnis homo est bipes:*

*Gallina non est homo:*

*E. Gal.*

*E. Gallina non est bipes.*

Falsa iterum est conclusio veris tamen existentibus præmissis.

9. Atque hinc jam intelligitur quare quatuor tantum modi sint: cum enim primò non possint omnes propositiones esse negantes aut omnes etiam particulares, vt ex regulis communibus constat; deinde nec major esse particularis aut minor negans, vt ex regulis specialibus jam patuit, plures variationes quantitatis & qualitatis dari nequeunt, sicut manifestum erit, si quis periculum faciat, an excogitari plures possint.

10. Duo autem adhuc notanda hic sunt. Primum est sæpe Minorem in syllogismis primæ figuræ negantem videri, cum affirmans

ta-

tamen sit, sed infinita. Contingit hoc quoties subiectum maioris est terminus infinitus, idq; sine additione nouæ particulæ negantis fit prædicatum minoris: tum enim propter respectum istum ad maiorem, quodq; particula negans inde propriè in minorem transferatur, minor infinita fit, quæ aliàs & extra syllogismum negans esset.

Sic in hoc syllogismo:

II.

*Qui non ex est Deo verbum Dei non  
audit,*

*Iudæi non sunt ex Deo,*

*E. Verbum Dei non audiunt.*

Minor non negat sed affirmat: nec particula *non* ad copulam refertur, sed ad prædicatum, idq; ideò quod totum illud: *non sunt ex Deo,* ex maiore hîc repetitur. Vt ut i-  
gi-

94. LIB. III. CAP. IV. DE  
gitur aliàs & extra syllogismum  
propositio ista: *Iudæi non sunt ex  
Deo*, negans sit, in hoc syllogi-  
smo tamen pro affirmante & infi-  
nita habetur.

32. Facile autem dignoscitur vbi  
minor sit negans & vbi ea de caus-  
sa pro infinita & affirmante habe-  
atur, si obserues quare in exem-  
plo allato particula negans non  
ad copulam, sed ad prædicatum  
referatur, sc. propter respectum  
ad maiorem propositionem: cum  
enim ejus subiectum contineat  
particulam negantem, & subiectū  
illud fiat in minore prædicatum,  
necesse est vt eadem particula,  
quæ in Majore pars subiecti erat,  
in minore sit pars prædicati. No-  
tum autem est ex doctrina enun-  
ciationum, vbi particula negans  
non

non ad copulam sed ad terminum  
pertinet, eam non facere propo-  
sitionem negantem sed infini-  
tam.

Quotiescunq; igitur particu- 13.  
la negans est in subiecto maioris,  
& cum eo transfertur in mino-  
rem, toties minor illa est infinita  
& affirmans, & fit syllogismus in-  
finitus. Quoties autem negatio  
illa non transfertur ex subiecto  
maioris in minorem, toties reue-  
ra minor negat, vt in isto syllogi-  
smo:

*Quod est animal illud est corpus,  
Sed lapis non est animal,  
E. lapis non est corpus.*

Minor hic est negans tam in syllo-  
gismo quam extra eum esset: par-  
ticula enim negans in subiecto  
maioris non est, quum ea non ha-  
beat

96. LIB. III. CAP. IV. DE  
beat: *Quod non est animal, sed, Quod  
est animal.* Quare nec consequen-  
tia eiusmodi valet. At in superi-  
ori syllogismo alia est ratio: illud  
enim: *Non est ex Deo, jam in maio-  
rierat, quæ est: Qui non est ex Deo  
&c.* Ejus igitur & similium con-  
sequentia bona est. Hoc primò  
notandum.

14. *Deinde & illud obseruandum  
est, ad modos quatuor enumera-  
tos referendos esse etiam syllogi-  
smos illos qui minorem & con-  
clusionem habent propositiones  
singulares: nec enim opus est ea-  
de causa novos modos constitui,  
cum singulares propositiones in  
scientiis paruum vsum habeant.  
Si itaq; sic argumenter:*

*Qui est homo is est animal,  
Petrus est homo,*

*E. Pe-*

*E. Petrus est animal.*

perinde est vtrum ad *Barbara* an  
*Darij* reducas, etsi minor & con-  
 clusio neq; sunt vniuersales, vt in  
*Barbara*, neq; particulares, vt in  
*Darij*, sed singulares: nec enim  
 ea in re errari potest, quod ad præ-  
 sens negotium quidem attinet.  
 Nec hoc tantum hic valet, sed in  
 omnibus figuris.

## CAPVT V.

DE

*Secunda figura.*

**S**ecunda figura est quum medius 1.  
 terminus prædicatum est tam  
 in maiore quam in minore. Mo-  
 di eius sunt totidem quot primæ.

Primus est *Cesare*, id est, quum 2.  
 maior est vniuersalis negans, mi-  
 nor vniuersalis affirmans, & con-  
 clusio rursus vniuersalis negans,

vt:

H

Ce-

Ces Nullus lapis est animal,

a Omnis homo est animal,

re E. Nullus homo est lapis.

3. Secundus est Camestres, majore vniuersali affirmante, minore autem & conclusione vniuersalibus negantibus, vt:

Cam Omnis homo est animal,

es Nullus lapis est animal,

tres E. Nullus lapis est homo.

4. Tertius est Festino, vbi major negat vniuersaliter, minor affirmat particulariter & conclusio particulariter negat, vt:

Fes Nullus lapis est animal,

ti Quoddam corpus est animal,

no E. Quoddam corpus non est lapis.

5. Quartus dicitur Baroco, constans sc. majore vniuersali affirmante, minore & conclusione particularibus negantibus, vt:

Ba



Ba *Omnis homo est animal,*

roc *Quoddā corpus non est animal,*

o *E. Quoddā corpus non est homo.*

Sunt verò etiam hujus figuræ <sup>6.</sup>  
 duæ præcipuè regulæ. Prima est:  
*Ex puris affirmantibus nihil hîc con-*  
*cludi, altera, Majorem, etiam vt in*  
*prima figura, debere semper esse vni-*  
*uersalem.*

Ex puris affirmantibus nihil <sup>7.</sup>  
 concludi in secunda patet ex hoc  
 syllogismo:

*Omnis homo est animal,*

*Omnis equus est animal,*

*E. Omnis equus est homo.*

Conclusio est falsa, præmissæ ve-  
 ræ: consequentia ergò non valet.

Adde quod tales syllogismi non  
 possunt reduci ad primam figurã,  
 quod tamẽ fieri debet in secunda  
 & tertia figura, vt infra ostende-  
 tur.

H 2

Sed

8. Sed nec legitimè aliquid sequitur quoties major est particularis, siue ea sit affirmans siue negans. Liquet id ex his exemplis:

*Quoddam animal est bipes,*

*Nullus equus est bipes,*

*E. Quidam equus non est animal.*

Item:

*Quoddam animal non est bipes,*

*Omnis gallina est bipes,*

*E. Quaedam gallina nō est animal.*

Vtrobique sunt præmissæ veræ & falsa tamen est conclusio. Forma ergò in talibus syllogismis legitima non est. Quin vltèrius nec istiusmodi syllogismi ad primam figuram reduci possunt.

9. Porro termini infiniti etiam hinc difficultatem pariunt, sicut in prima, sed alio pacto. Sic si argumenteris hoc modo:

*Quic-*

*Quicquid non est animal nō est homo,*

*Petrus est homo,*

*E. Petrus non est animal.*

error est & debebat concludi E.

*Petrus non est non animal.*

Causa est, quod in maiore <sup>10.</sup>  
 subjectum est terminus infinitus,  
 nempe: *Non animal*, quem integrè  
 in conclusione repeti oportet.  
 Id autem non fit, quando conclu-  
 ditur, *E. Petrus non est animal*, cum  
 vna illa particula negans iam ali-  
 as esse debeat in conclusione, vt  
 illam negantem faciat. Requiri-  
 tur ergò & altera illa quæ ad ma-  
 jorem terminum pertinet & in eo  
 erat in maiore propositione atq;  
 illum ibi infinitum reddebat. Pot-  
 est tamen etiam sic concludi:

*Qui non est animal non est homo,*

*Petrus est homo,*

H 3

*E. Pe-*

*E. Petrus est animal.*

sed ideò quia ista: *Petrus est animal*, æquipollet alteri illi quæ propriè aliàs ex præmissis efficitur: *Petrus non est non animal.*

## CAPUT VI.

De

*Tertia figura.*

1. **T**ertia figura est in qua medius terminus in vtraq; præmissarum subjicitur. Modos habet sex.
2. Primus est *Darapti*, id est, quum major & minor sunt vniuersales affirmantes, conclusio autem particularis affirmans, vt:  
*Da Omnis homo est rationalis,*  
*rap Omnis homo est bipes,*  
*ti E. Quoddam bipes est rationale.*
3. Secundus est *Felapton*, seu quum major est vniuersalis negãs,  
mi-

minor vniuersalis affirmans, con-  
clusio particularis negans, vt:

Fe Nullus homo est lapis,

lap Omnis homo est animal,

ton E. Quoddam animal non est lapis.

Tertius est *Disamis*, id est, ha- 4  
bet maiorem particularem affir-  
mantem, minorem vniuersalem  
affirmantem & conclusionē rur-  
sus particularem affirmantem, vt:

Dis Quidam homo est doctus,

am Omnis homo est animal,

is E. Quoddam animal est doctū.

Quartus appellatur *Datifi*, & 5  
habet maiorem vniuersalem, mi-  
norem autem & conclusionem  
particulares affirmantes, vt:

Da O. homo est animal,

tis Q. homo est doctus,

i E. Quoddam doctū est animal.

Quintus est *Bocardo*, & habet 6.

H 4

majo-

104. LIB. III. CAP. VI. DE  
maiolem particulariter negan-  
tem, minorem vniuersaliter affir-  
mantem, & conclusionem rursus  
particulariter negantem, vt:

Boc *Q. homo non est doctus,*

ar *O. homo est animal,*

do *E. Quoddam animal non est  
doctum.*

7. Sextus deniq; dicitur *Ferison*,  
seu constat maiore vniuersali ne-  
gante, minore vniuersali affir-  
mante & conclusione particulari  
negante, vt:

Fe *N. homo est lapis,*

ris *Q. homo est doctus,*

on *E. Q. doctum non est lapis.*

8. Hi sunt modi tertiæ. Causa  
autem quod ea sex modos habe-  
at, cum cæterarum sint quatuor  
tantum, ea est quod Major hic  
non solum vniuersalis sed etiam  
par-

particularis esse potest: hoc enim nec in prima nec in secunda vfu-  
uenit.

Sunt autem etiam de hac fi- 9.  
gura duæ regulæ præcipuæ. Vna est,  
vt minor sæper affirmet sicut in pri-  
ma, altera, ut conclusio semper sit  
particularis, nunquam vniuersalis.

Quod minor debeat affirma- 10.  
re, non negare, hoc exemplo pa-  
tet:

*Omnis homo est animal,*

*Nullus homo est leo,*

*E. Q. leo non est animal.*

Conclusio falsa est, & veræ tamen  
præmissæ. Consequentia ergo  
non valet.

Similiter patet conclusionem 11.  
debere particularem esse: nam  
ni fiat, statim rursus ex veris fal-  
sum concludere licet, hoc pacto:

H 5

*Omnis*

*Omnis homo est bipes,*

*Omnis homo est animal,*

*E. Omne animal est bipes.*

Huc accedit, quod nec quum minor negat, nec quum conclusio vniuersalis est in hac figura, syllogismi illi reduci possint ad primam: quod certum indicium est eos legitimè non concludere.

## CAPUT VII.

DE

*Ratione confirmandi legitimam consequentiam, ac primo quidem per Expositionem.*

- I. **E**Xplicatæ sunt hæten<sup>o</sup> omnes tam figuræ, quàm singularum figurarum modi, quibus aliquid legitimè & directè concluditur. Dico *legitimè & directè*: nam sunt; præsertim in prima figura, etiam modi indirecti, qui rectè quidem sed indirectè concludunt. Ni-



Nihil autem de his tradidimus, <sup>2.</sup>  
 tum quòd cognitâ ratione dire-  
 ctè concludendi indirecta facile  
 patet, & solius subalternationis  
 vel etiam conuersionis beneficio  
 intelligitur, tum quod inutile  
 est indirectis uti, cum omnis in-  
 directa conclusio, leuiter tantum  
 mutatis præmissis, directa fieri  
 possit.

Cæterum quia non sufficit <sup>3.</sup>  
 assignati figuras & modos quibus  
 rectam rationem argumentandi  
 contineri dicamus, nisi etiam o-  
 stendere possimus tres illas figu-  
 ras omnibus istis modis rectè  
 concludere, nec vnquam fallere,  
 necesse est vt nunc rationem ali-  
 quam examinandi & probandi  
 formulas legitimè concludentes  
 addamus.

Du.

4. Duplex autem ea est, vna quando ad sensum ostenditur sic rectè concludi, altera quando demonstratur formulam illam principiis naturaliter notis & communi notioni omnium hominum exactè respondere, cuiusmodi principia & notiones hic sunt dictum de omni & dictum de Nullo, quæ esse fundamenta omnis legitimæ formæ syllogismorum diximus cap. 2. n. 3.

5. Ad sensum ostenditur syllogismum rectè concludere, quum idem illud quod certa aliqua ratione antea probabatur, id ad sensum etiam patere monstratur, seu ex sensu cognitis illud efficitur quod dudum argumento confirmabatur. Et hæc vocatur Expositio seu syllogismus Expositorius. Quod

Quod autem formula conclu- 6.  
dendi principiis naturaliter no-  
tis respondeat ita patet, si for-  
mula illa vel expressè contine-  
at dictum de Omni aut dictum de  
Nullo, vel certè in eiusmodi for-  
mulam transmutari legitimo mo-  
do possit. Prius fit in syllogismis  
primæ figuræ: omnes enim ex-  
pressè continent utrumq; dictum,  
ut supra cap. 2. n. 6. ostendimus.  
Posterius contingit in secunda &  
tertia figura: harum enim figura-  
rum syllogismi non quidem ipsa  
ista dicta exprimunt, sed trans-  
mutari tamen in syllogismos pri-  
mæ possunt, quibus utrumq;, ut  
diximus, expressè continetur. Ea  
transmutatio vulgò *reductio* ap-  
pellatur, de qua cap. sequenti.

Porro *expositio* tantum in ter- 7.  
tiâ

110. LIB. III. CAP. VII. DE  
tiâ figurâ locum præcipuè habet,  
& sic instituitur. Sumitur syllo-  
gismus istius figuræ, qui si rectè  
concludere non videatur, idem  
illud quod eo concluditur ratio-  
ne & argumento, ex sensui notis  
efficitur: semper enim hîc pro me-  
dio termino communi substitue-  
re licet singularem, & idem isto  
concludere euidentius quod antè  
obscurius per illum communem  
inferebatur.

8. Sic si quæstio sit, an etiam san-  
cti, dum in hac vita sunt, possint e-  
normiter labi & peccare, conclu-  
ditur id hoc syllogismo.

*Omnis homo in quo residet adhuc con-  
cupiscentia carnis peccat interdum  
enormiter,*

*Quidam in quo residet adhuc concupi-  
scentia carnis est sanctus,*

*E. Qui-*

*E. Quidam sanctus enormiter interdum peccat.*

Quod si jam non capiat quis rationem illam quæ adfertur, peccare etiam sanctos interdum enormiter dum sunt in hac vita, quia à carnis concupiscentia immunes nondum sint, & adeo de conclusionis veritate dubitet, potest eadem statim euidentiori medio, quodq; sensui ipsi in scripturis expositum sit, ostendi ita:

*David peccat enormiter,*

*David est homo sanctus,*

*E. Quidam homo sanctus peccat enormiter,*

Vel:

*Petrus peccat enormiter,*

*Petrus est homo sanctus,*

*E. Quidam sanctus peccat enormiter.*

Similiter si concluderis non-  
nulla

112. LIB. III. CAP. VII. DE  
nulla corpora grauia non mergi,  
ita:

*Nullum porosum mergitur,  
Quoddam porosum est corpus graue,  
E. Quoddam corpus graue non mer-  
gitur.*

Fiat autem vt quis non adsentia-  
tur conclusioni, quod rationem,  
quâ probatur, quia est terminus  
communis, non satis percipiat,  
potest idem euidentius concludi  
substituto medio termino singu-  
lari, hoc modo:

*Hoc lignum non mergitur,  
Hoc lignum est corpus graue,  
E. Quoddam corpus graue non mer-  
gitur.*

11. Si itaq; dubitabat antè, an  
corpus aliquod graue innataret,  
nec capiebat quod pori natare fa-  
ciant etiam ea quæ alioqui mer-  
ge-

EXPOSITIONE. IIS.

gerentur, jam de eo amplius dubitare nequit, cum ad sensum pateat ligna natatare, & pateat etiam, ea alias grauissima esse.

Fiunt autem, vt supra diximus, Expositiones ferè tantum in tertia, quia ibi medius terminus utrobique est subiectum: singularis enim terminus subijci bene in syllogismo potest, at non prædicari. In prima itaque & secunda medium singulare loco mediij communis sumi nequit, quia mediū in prima prædicatum est in minore propositione, in secunda & in maiore & minore. Possunt sanè etiam in istis duabus figuris confici similes argumentationes: sed eæ plerumque coactæ sunt, & vsum nullum aut valdè exiguum habent. Quare eas Aristot. prætermisit.

Ratione confirmandi consequentiam  
syllogisticam per reductio-

1. **Q**uomodo confirmetur con-  
sequentia syllogistica per ex-  
positionem dictum est. Restat  
confirmatio per reductionem. Est  
autem *reductio* quando syllogi-  
smi secundæ & tertiæ figuræ trans-  
mutantur in syllogismos primæ,  
ita ut idem eodem medio conclu-  
datur in prima quod antè con-  
cludebatur in secunda aut tertia.

2. Fitq; transmutatio illa vel per  
conuersionem simul & transpo-  
sitionem vnus præmissarum, vel  
per conuersionem tantum, & in-  
fertur vel eadem planè conclusio  
in prima, quæ illata erat in cæte-  
ris,



REDUCTIONE. IIS.

ris, vel saltem quæ semper & legitime in eam conuerti potest.

Vt autem intelligatur quomodo instituenda sit reductio, sciendum jam est, quid significant consonantes in vocabulis, quibus supra modos figurarum distinximus: vt enim illic vocales eorum, ita hic consonantes vsum habent.

Suntq; aliæ illarum *primæ* initiales, quæ ostendunt ad quem modum primæ reducatur vnusquisq; modus secundæ vel tertiæ. Ita C. in *Cesare* & *Camestres* arguit modos istos duos ad *Celarent* primæ reducendos, & D. in *Darapti*, *Disamis*, *Datifi*, indicat modos illos tertiæ reduci debere ad *Darij* primæ. Tantum in *Baroco* & *Bo-*

116. LIB. III. CAP. IIX. DE  
cardo id fallit, quia veteres duos  
istos modos ita non reducunt.

5. Deinde alia sunt in medio di-  
ctiois, & ostendunt quænam  
propositionum in reductione vel  
conuertenda vel transponenda  
sit, istæ nempe S. P. M. Et S.  
quidem denotat propositionis,  
cui præscribitur, simplicem con-  
uersionem, P. conuersionem per  
accidens, & deniq; M. fieri debe-  
re metathesin, siue transpositio-  
nem propositionis.

6. Vbi nota, vnâquamq; ha-  
rum consonantium pertinere ad  
vocale[m] se præcedentem, non ad  
sequentem, ac proinde quod ar-  
guit, id intelligendum esse de ea  
propositione, cui præcedens vo-  
calis, non cui sequens, præponi-  
tur.

Sed

Sed ad rem. Cum itaque pri-<sup>7.</sup>  
mus modus secundæ figuræ sit  
*Cesare*, ille ad *Celarent* reducitur  
per solam conuersionem simpli-  
cem majoris, hoc pacto. Syllo-  
gismus in *Cesare* est:

*Ces* Nullus lapis est animal:

*a* Omnis homo est animal:

*re* E. Nullus homo est lapis.

Reducitur ita, ut oriatur hic syl-  
logismus in *Celarent*:

*Ce* Nullum animal est lapis:

*la* Omnis homo est animal:

*rent* E. Nullus homo est lapis.

Secundus modus est *Camestres*: <sup>8.</sup>

is itidem reducitur ad *Celarent*,  
sed primò transponenda est ma-  
jor in locum minoris, & deinde  
minor simpliciter conuertenda,  
& deniq; conuertenda etiam sim-

III. LIB. III. CAP. IIX. DE  
pliciter conclusio. Syllogismus  
in *Camestres* est hic:

Ca. *Omnis homo est animal,*  
es. *Nullus lapis est animal,*  
tres. *E. Nullus lapis est homo.*

In *Celarent* est iste:

Ce. *Nullum animal est lapis:*  
la. *Omnis homo est animal:*  
rent. *E. Nullus homo est lapis.*

9. Equidem conclusio hinc non  
planè eadem infertur in prima  
quæ est in secunda, sed tamen per  
legitimam conuersionem vna &  
eadem fieri potest.

10. Tertius modus est *Festino*, qui  
reducitur ad *Ferio* per solam con-  
uersionem simplicem majoris.  
Syllogismus in *Festino* est hic:

Fes. *Nullus lapis est animal,*  
ti. *Quoddam corpus est animal,*  
no. *E. Quoddam corpus non est lapis.*

Re-

Reductio ad Ferio ita habet:

Fe Nullum animal est lapis:

ri Quoddam corpus est animal:

o E. Quoddam corpus non est lapis.

Quartus est Baroco. Hunc 11.

veteres, ut dictum est, in syllogismum primæ non transformant, cum solam conuersionem simplicem & per accidens agnoscant. Reducitur autem beneficio conuersionis per contrapositionem ad *Ferio*, conuersâ tantum maiore.

Syllogismus in Baroco hic est: 12.

Ba Omnis homo est animal,

ro Quoddam corpus non est animal,

co E. Quoddam corpus non est homo.

In *Ferio* sic habet:

Fe Quicquid non est animal, non est  
homo:

ri Quoddam corpus non est animal:

o E. Quoddam corpus non est homo.

13. Tertiae figuræ modus primus est *Darapti*, qui reducitur ad *Darij* sola conuersione per accidens minoris. Syllogismus in *Darapti* est:

Da *Omnis homo est animal:*

rap *Omnis homo est bipes:*

ti *E. Quoddam bipes est animal.*

Is in *Darij* sic habet:

Da *Omnis homo est animal:*

ri *Quoddam bipes est homo:*

i *E. Quoddam bipes est animal.*

14. Secundus est *Felapton*, reducitur ad *Ferio*, sola item conuersione per accidens minoris. Syllogismus in *Felapton* est:

Fe *Nullus homo est lapis,*

lap *Omnis homo est animal,*

ton *E. Quoddam animal non est lapis.*

In *Ferio* talis est:

Fe

Fe. Nullus homo est lapis:

ri. Quoddam animal est homo:

o. E. Quoddam animal non est lapis.

Tertius est *Disamis*: reducitur <sup>15.</sup>  
ad *Dary*, conuersa simpliciter ma-  
jore, transposita minore, & con-  
uersa itidem simpliciter conclu-  
sione. In *Disamis* est hic syllogi-  
smus:

Dis. Quidam homo est doctus,

am. Omnis homo est animal,

is. E. Quoddam animal est doctum.

In *Dary* sic habet:

Da. Omnis homo est animal:

ri. Quoddam doctum est homo:

i. E. Quoddam doctum est animal.

Quartus est *Datifi*, qui ad e- 16.  
undem modum primæ reducitur  
conuersâ tantum minore simpli-  
citer. In *Datifi* est:

I s

Da

Da Omnis homo est animal:

ri Quidam homo est doctus:

i E. Quoddam doctum est animal.

In Daryj sic constituitur:

Da Omnis homo est animal:

ri Quoddam doctum est homo:

i Quoddam doctum est animal.

17. Quintus est Bocardo. Reducitur

is transposita minore, & con-

uerfa per contrapositionem ma-

jore & conclusione, vnde oritur

sylogismus in Daryj: In Bocardo

enim iste est:

Boc Quidam homo non est doctus,

ar Omnis homo est animal,

do E. Quoddam animal non est

doctum.

Is in Daryj sic habet:

Da Omnis homo est animal:

ri Quoddam non doctum est homo:

i E. Quoddam non doctum est animal.

Sex-



Sextus est *Ferison*, qui reduci-<sup>18.</sup>  
tur ad *Ferio*, conuersa iterum sim-  
pliciter minore. Syllogismus in  
*Ferison* est:

Fe Nullus homo est lapis,

ris Quidam homo est doctus,

on E. Quoddam doctum non est lapis.

Hic in *Ferio* ita habet:

Fe Nullus homo est lapis:

ri Quoddam doctum est homo:

o Quoddam doctum non est lapis.

Hæc de reductione. Vbi v-<sup>19.</sup>

num adhuc nota, nos reductio-

nem eam tantum explicasse quæ

vulgò *ostensua* appellatur: nam a-

liã est apud veteres quæ dicitur

reductio *per impossibile*. Sed quia

eã est intellectu difficilior, nec v-

sum magnum habet, si etiam *Bar-*

*roco* & *Bocardo* ita reducantur vt

nos

adv

124. LIB. III. CAP. IX. DE  
nos fecimus, planè prætermitten-  
dam censuimus.

CAPVT IX.

*De*  
*Syllogismis Modalibus.*

1. **P**Ertractata est forma syllogi-  
smorum qui ex propositioni-  
bus absolutis constant, jamq; nos  
ordo deducit ad syllogismos mo-  
dales: cum enim propositiones  
modales tota specie differant ab  
absolutis, seu, vt vocant, de in es-  
se, forma etiam syllogismorum,  
qui ex talibus propositionibus  
conficiuntur, peculiarem consi-  
derationem requirat necesse est.
2. Verum quia doctrina ista dif-  
ficilior non nihil est, & supra de  
conuersione propositionum mo-  
daliū non egimus, merito ea ad  
vbc-

uberiores commentarios ex hoc  
 compendio remittitur, vt eò re  
 etiùs interim forma & reductio  
 syllogismorum absolutorum &  
 hypotheticorum cognoscatur.

Tantum id notari potest syl- 3  
 logismos modales multiplices esse  
 se: aut enim constant ex *puris* mo-  
 dalibus propositionibus, aut una  
 tantum præmissarum est *modalis*,  
 altera de in esse seu absoluta.

Ex *puris* modalibus constat 4  
 iste:

*Necesse est omne animal sentire,*

*Necesse est omnem hominem esse  
 animal,*

*E. Necesse est omnem hominem sen-  
 tire.*

Ex modalibus & absoluta misce-  
 tur ille:

*Necesse est omnem philosophum esse  
 doctum, Pe.*

*Petrus est Philosophus,*

*E. Necessesse est Petrum esse doctum.*

5. Porro qui ex puris modalibus constantij rursus aut habent modos omnes eisdem, aut miscent diversos. Purus ex iisdem modis est ille supra allatus. Ex modis mixtis iste:

*Necessesse est Philosophum esse doctum,*

*Contingit Petrum esse Philosophum,*

*E. Contingit Petrum esse doctum.*

*Vel:*

*Necessesse est omnem hominem esse animal,*

*Impossibile est Petrum non esse hominem,*

*E. Impossibile est Petrum non esse animal.*

## CAPVT X.

DE

Syllogismis conjunctis seu hypotheti-  
 sis, & primò de Conditiona-  
 libus.

Syllogismos qui ex propositio-  
 nibus simplicibus constant ab- 1.  
 soluimus: sequuntur ij qui ex con-  
 junctis fiunt. Suntq; in triplici  
 differentia, vt & propositiones  
 ipsæ, conditionales, seu hypothetici  
 propriè dicti, copulatiui & disjuncti-  
 ui: ex quibus tamen copulatiui  
 parui sunt momenti & minus  
 familiares; cæteri sæpius oc-  
 currunt & majorem vsum ha-  
 bent.

Innititur autem forma ho-  
 rum. syllogismorum formæ syl- 2.  
 logismorum categoricorum: et-  
 enim

enim non tantum Conditionales  
 leui negotio transmutantur in  
 syllogismos categoricos primæ  
 aut secundæ figuræ, & inde robur  
 acquirunt, sed etiam copulatiui  
 & disjunctiui, vt infra patebit.  
 Verum ordine de singulis dica-  
 mus, & primò de conditionali-  
 bus.

3. *Conditionalis, seu hypotheticus*  
 propriè dictus, est cuius major aut  
 vtraq; præmissarum est propo-  
 sitio conditionalis, vt:

*Si Petrus est homo est animal,  
 sed Petrus est homo,  
 E. Petrus est animal.*

Vel:

*Si Petrus est animal est substantia,  
 Sed si est homo est animal,  
 E. Si est homo est substantia.*

4. Habet is duas figuras. Vna est  
 in

SYLLOG. CONIUNCTIS. 129.

in qua posito antecedente ponitur consequens, ut:

*Si Petrus est homo est animal,*

*sed Petrus est homo,*

*E. Petrus est animal.*

altera, in qua remoto consequente remouetur antecedens, ut:

*Si lapis est homo est animal,*

*Sed lapis non est animal,*

*E. Lapis non est homo.*

Probatum hoc inde, quòd v-  
triusq; figuræ syllogismi transmu-  
tentur in categoricos rectè con-  
cludentes, primæ quidem in syl-  
logismos primæ, ut:

*Quicquid est homo est animal,*

*Petrus est homo,*

*E. Petrus est animal.*

Secundæ autem in alios itidem  
secundæ, ut:

*Quod est homo illud est animal,*

K

La-

*Lapis non est animal,*

*E. Lapis non est homo.*

6. Plures autem figuræ non sunt:  
nec enim vel remoto antecedente  
remouetur consequens, vel  
posito consequente ponitur an-  
tecedens.

7. Id ita probatur: nam si à re-  
motione antecedentis argumen-  
teris ad remotionem consequen-  
tis, oritur syllogismus minore ne-  
gante in prima. Sic si ita conclu-  
das:

*Si equus est homo est animal,*

*Sed equus non est homo,*

*E. equus non est animal.*

syllogismus redactus ad categori-  
cum fit talis:

*Quicquid est homo est animal,*

*Equus non est homo,*

*E. Equus non est animal.*

Si



Similiter si posito consequen- 8.  
te ponere velis antecedens, fit  
syllogismus, quum ad categori-  
cum redigitur, affirmans in secun-  
da. Ita ex hoc:

*Si equus est homo est animal,*  
*Sed equus est animal,*  
*E. equus est homo,*

iste conficitur:

*Quod est homo est animal,*  
*Equus est animal,*  
*E. equus est homo.*

Huc accedit quòd tales syllo- 9.  
gismi etiam si non redigantur ad  
categoricos, manifestò ex veris  
præmissis falsam conclusionem  
efficiunt.

Cæterum vtraq; figura quâ 10.  
rectè concluditur, habet quatuor

K 2 mo.

modos: totupliciter enim affirmatio & negatio in antecedente aut consequente variat.

11. Modi prioris figuræ sunt hi. Primus est quum tam antecedens quàm consequens affirmat, vt:

*Si Petrus est homo est animal,  
Sed est homo:  
E. est animal.*

12. Secundus est, cum & antecedens & consequens negat, vt:

*Si lapis non est animal, non est homo:  
Sed non est animal:  
E. Non est homo.*

13. Tertius, in quo affirmat antecedens, & negat consequens, vt:

*Si Petrus est homo, non est lapis:  
Sed est homo:  
E. Non est lapis.*

14. Quartus & vltimus, in quo antecedens negat, & consequens affirmat, vt: Si

*Si animal non est homo, est irrationale:*

*Sed hoc animal non est homo:*

*E. est irrationale.*

Eadem planè ratione habent se modi posterioris figuræ: quare exempla tantum ponamus.

Primi itaq; exemplum est:

*Si est homo, est animal:*

*Sed non est animal:*

*E. Non est homo.*

Secundi exemplum est: 16.

*Si non est homo, non est doctus:*

*Sed non est non doctus:*

*E. Non est non homo.*

*Vel:*

*Sed est doctus,*

*E. est homo.*

Tertij, 17.

*Si Petrus est homo, non est equus:*

*Sed non est non equus:*

*K 3*

*E. Non*

*E. Non est homo.*

Vel:

*Sed est equus: E. Non est homo.*

18.

Quarti deniq;

*Si animal hoc non est homo, est ir-  
rationale:*

*Sed non est irrationale:*

*E. Non est non homo:*

Vel:

*E. Est homo.*

19.

Tantum hic observa cum se-  
cunda figura remoueat conse-  
quens vt remoueatur etiam ante-  
cedens, fieri quoties vel antece-  
dens vel consequens negat, vt du-  
plex negatio sit vel in assumptione  
vel in conclusione, vel etiam v-  
trobiq; vna quæ iam erat in ante-  
cedente aut consequente propo-  
sitionis, altera per quam conse-  
quens remouetur, sicut in tribus  
vltimis modis patet. Cau-

Causa est, quòd nihil remo-<sup>20.</sup>  
uetur nisi per particulam negan-  
tem; quæ si iam ante fit in eo  
quod remouendum est, duplex  
negatio oritur. Sic vt remoueas  
*Non doctus*, dicas oportet, *Non est  
non doctus*, & ita de cæteris res se  
habet.

Verum quia istud: *Non est non*<sup>21.</sup>  
*doctus* æquipollet ei: *Est doctus*, vt  
ex lib. 2. cap. 4. num. 3. notum est,  
fit vt vtraq; negatio interdum o-  
mittatur & pro: *Non est non do-*  
*ctus*, aut simili, subsumatur vel  
concludatur: *Est doctus*, sicut et-  
iam in categoricis vsu venit, vt  
monstratur hoc lib. cap. 5. n. 10.

## CAPVT XI.

De

*Syllogismis copulatiuis &  
disiunctiuis.*

K 4

Co.

1. **C**opulatiuus syllogismus est cuius propositio est enunciatio copulatiua. Nulli autem tales sunt affirmatiui, sed negatiui tantum, quanquam etiam hi, ut iam antè diximus, magnum usum non habent. Fiunt sic:

2. *Non est homo est rationalis et lapis,  
Sed est rationalis,  
E. Non est lapis.*

Disiunctiui sunt quorum maior est enunciatio disiunctiua. Et hi rursus, ut conditionales, duas habent figuras. Prior est cum vnum ponitur ut alterum tollatur, posterior cum vnum tollitur ut alterum ponatur.

3. Prioris exemplum est hoc:  
*Aut dies aut nox est,  
Sed dies est,  
E. Nox non est.*

Pe-

Perinde autem est vtra pars tol-  
latur: nam & sic subsumere licet:

*Sed nox est*

*E. Dies non est.*

Posterioris exemplum est il. 4.

lud:

*Aut dies est aut nox est,*

*Sed dies non est,*

*E. Nox est.*

Vel:

*Sed nox non est*

*E. Dies est.*

Cæterum tradi solent vtri-  
usque figuræ aliquot modi, vt in  
conditionalibus; sed quia quum  
pars vna aut vtraq; Propositionis  
est negans nihil formaliter con-  
cludi videtur, eos prætermitti-  
mus.

Tantum adhuc sciendum est 6.  
nullos fieri syllogismos aut Con-

K 4

di.

138. LIB. III. CAP. XI. DE  
ditionales aut Disjunctiuos si ipsa  
Propositio sit negans, puta si sit  
talis: *Non si homo est doctus est me-  
dicus, Non aut animal est rationale  
aut irrationale.*

7. Postremo etiam syllogismi  
copulatiui & disjunctiui conuer-  
tuntur in syllogismos simplices  
seu, vt vocant, categoricos, si ma-  
ior tantum redigatur in propo-  
sitionem simplicem, quæ idem di-  
cat cum illa conjuncta, vt:

*Quicquid est rationale non est lapis,  
Sed homo est rationalis,  
E. Non est lapis.*

Item:

*Quando est dies non est nox,  
Sed est nunc dies,  
E. non est nox.*

CAPVT XII.

De



De

*Formis argumentandi imperfectis.*

**E**Xplicatæ huc vsq; sunt formæ  
argumentandi perfectæ: ta-  
les enim sunt tam categorici  
quam hypothetici syllogismi, et si  
illi his sunt perfectiores & soli fe-  
rè in scientijs vsurpantur: vnde et-  
iam hypothetici ab Aristotele ne-  
glecti sunt & à Stoicis primum ac  
postea à Boethio explicati.

Sunt autem aliæ adhuc argu-  
mentationes sed imperfectæ,  
nempe, Enthymema, Dilemma,  
Exemplum, Sorites.

*Enthymema*, definiente Boethio,  
est oratio, in qua non omnibus  
antè propositionibus constitu-  
tis infertur festinata conclusio.  
Potest etiam definiiri argumen-  
ta-

140. LIB. III. CAP. XII. DE  
tatio in qua ex vna tantum pro-  
positione aliquid concluditur al-  
terâ suppressâ, vt :

*Superbia est peccatum,*

*E. est fugienda.*

Vel :

*Omne peccatum est fugiendum,*

*Ergo & superbia.*

4. Supprimitur autem & omit-  
titur nunc major nunc minor  
propositio : major vt in exemplo  
primo quod allatum est, minor,  
vt in altero.

5. Vnde imperfectus tantum  
Syllogismus est, nec peculiarem  
formam habet, sed vi syllogismi  
concludit in quem suppleta pro-  
positione, quæ deest, reducitur.  
Sic quare superbia fugienda sit  
non constat, si id tantum dicas  
peccata esse fugienda, nec vel ad-  
das

das vel sub intelligas, etiam illam peccatum esse. Similiter non sufficit dicere eam esse fugiendam quia peccatum sit, nisi id quoque vel expressè vel tacitè supponas, omne peccatum fugiendum esse.

Vsum autem habet in ijs quæ adeo sunt manifesta vt vna propositionum omitti & facilè subintelligi possit. Vnde Aristot. dicit, enthymema esse syllogismum ex verisimilibus & signis constantem.

*Dilemma* nihil aliud est quàm syllogismus disiunctiuus vtrinq; capiens aduersarium, vt:

*Aut malè locutus sum aut benè,*

*Si malè ostendendum est,*

*Si benè, non sum verberandus.*

*Exemplum* est argumentatio, qua aliquid singulare ex vno aut pau-

142. LIB. III. CAP. XII. DE  
paucis similibus confirmatur, ut:

*Imperium Græcorum delatum  
est ad Turcas,*

*E. & Romanum ad eos  
deferri poterit.*

9. *Sorites* est plurium syllogismo-  
rum in vna argumentatione accu-  
mulatio: vnde etiam nomen ac-  
cepit: *σωρός* enim Græcè cumulus  
est. Talis argumentatio est hæc:

*Omnis auarus est idololatra,*

*Omnis idololatra mortaliter  
peccat,*

*Omnis qui mortaliter peccat da-  
mnatur,*

*E. Omnis auarus damnatur.*

10. Sed & has argumentationes  
deficere à perfecto syllogismo  
manifestum est. Possunt tamen  
& ipsæ ad eum redigi, etsi aliæ fa-  
cili-

cilius, alia minus facile, prout longius aut minus longè ab eo recedunt.

Dilemma ita fit syllogismus:

II.

*Si verberandus sum, ideò verberabor vel quia benè vel malè sum locutus,*

*Sed nec quia benè, nec quia malè sum locutus,*

*E. Non sum verberandus.*

Conuertitur, vt patet, in Syllogismum conditionalem, omis-  
sis tantum ijs quæ ad probationem Minoris in dilemmate adduntur & suppletis quæ deerant. Sanè cum CHRISTVS argumentatur contra militem se percutientem ita:

*Aut bene aut male locutus sum,*

*Si malè ostendendum est,*

*Sin benè quare me verberas?*

Id

Id probat, immeritò se verberari, seu verberandum se statim non esse. Hæc ergò est conclusio. Rationem adfert, quia id fieri non debeat; siue malè locutus sit, siue bene. Quare in ijs tota argumentatio consistit. Quod autem additur, quare non sit verberandus siue malè siue bene locutus sit, id probationem continet minoris, hoc modò:

*Si statim verberandus sum verberabor ideo vel quia malè vel quia benè locutus sum,*

*At nec quia male nec quia bene,*

*E. Non ita statim sum verberandus.*

Probatur Minor: Non quia malè: id enim prius erat ostendendum. Sed nec quia benè: qui enim benè loquitur nullatenus vapulare debet. Con-

Conclusio igitur in dilemma-<sup>13.</sup>  
re omiffa integrè ponenda est, &  
probatio Minoris, quæ in ipsam  
argumentationem coniecta erat,  
separanda, & syllogismus perfe-  
ctus erit.

Exemplum reducitur ad syl-<sup>14.</sup>  
logismum si singulare non tam ex  
alio singulari præcisè, quàm ex  
eo quod ipsum commune cum a-  
lijs habet probetur. Sic Roma-  
num imperium non necessariò ad  
infideles deuoluitur quia ad eos  
Græcum deuenit: nec enim quod  
vni regno euenit idem alteri et-  
iam necesse est accidere. Verum-  
tamen si causam occasus imperij  
Græci adsumas & de Romano e-  
andem ponas, valida fit argumen-  
tatio. Id autem vt fiat primò di-  
citur sic: Imperium Græcum pro-  
L pter

146. LIB. III. CAP. XII. DE  
pter dissidia & peccata ad Tur-  
cam deuenit E. omne imperium  
ad infideles hoc modo tandem  
deuolui potest. Vnde postmo-  
dum argumentari licet:

*Omne imperium Christianum quod  
dissidet & peccatis obruitur  
ad infideles tandem deuenit,  
Romanum imperium est tale,  
E. ad infideles tandem deuolue-  
tur.*

15. Deniq; Sorites vt plurimum syl-  
logismorum confusione constat,  
ita in plures perfectos resolui de-  
bet sic:

*Omnis idololatra mortaliter pec-  
cat,*

*Omnis auarus est idololatra,*

*E. O. auarus mortaliter peccat.*

Et porro:

*Omnis*



*Omnis mortaliter peccans damna-  
tur,*

*Omnis auarus mortaliter peccat,*

*E. Omnis auarus damnatur.*

Hactenus de forma syllogi-<sup>16.</sup>  
smorum & earum argumentatio-  
num quæ à perfectis syllogismis  
non nihil abluunt, sed reuocari  
ad eos possunt.

Vbi vnum notandum præterea <sup>17.</sup>  
est, actum esse de ijs syllogismis  
tantum qui ex propositionibus  
constant absolutis, modalibus,  
conjunctis. Est autem aliud adhuc  
propositionum genus, quæ expo-  
nibiles appellantur, & aliæ quidem  
sunt exclusiue, vt: *Solus homo est do-  
ctus*, aliæ exceptiue, vt: *omne animal,  
præter hominem, est brutum*, aliæ re-  
duplicatiue, vt: *Omnis homo quâ est  
homo est rationalis*, aliæ deniq; com-

148. LIB III. CAP. XII. DE  
paratiuæ, vt: *Petrus est doctior Pau-  
lo.* Verum istæ omnes nec pecu-  
liarem formam syllogisticam ha-  
bent, nec cum cæteris promiscuè  
in argumentatione poni possunt:  
sed quia plures enunciationes  
implicitè continent, exponi pri-  
us debent antequam argumente-  
ris, nec ex ijs sed ex earum expo-  
nentibus (ita enim vocantur pro-  
positiones illæ per quas expo-  
nuntur) syllogismus conficien-  
dus: nam alias tota forma argu-  
menti turbabitur. Quomodo au-  
tem exponantur alibi accuratè o-  
stenditur.

### CAPVT XIII.

*De*

*Inductione.*

I. **A**rgumentatio accipitur du-  
pliciter propriè & impro-  
priè.

priè. *Propriè* quidem de argu-  
 mentatione syllogistica seu syllo-  
 gismo: *impropriè* de Expositione  
 & Inductione. Et verò *propriè*  
 argumentatur qui ratione seu ar-  
 gumento aliquo rem cognoscit  
 vel ostendit, minus *propriè* qui  
 ad sensum aliquid demonstrat,  
 seu ex sensu notis quidquam in-  
 telligit. Solus autem syllogismus  
 ratione & argumento rem con-  
 firmat: Expositio verò & Indu-  
 ctio sensu quasi & experientia. Un-  
 de etiam syllogismum facere *pro-*  
*priè* est argumentari.

Verùm cum Expositio & 2.  
 Inductio syllogismum imitentur,  
 referri ad argumentationes so-  
 lent & cum syllogismo explicari:  
 nam vtraq; ad veritatem indagan-  
 dam multum facit, etsi præcipuè

ISO. LIB. III. CAP. XIII. DE  
& in solo ferè Syllogismo alias  
Logica occupatur. De Exposi-  
tione dictum est cap. 7. n. eod.  
de inductione nunc verbo ali-  
quid addendum: nec enim diffi-  
cultas in ea est.

3. Est autem *inductio* quando ex  
omnibus, aut plerisque singulari-  
bus sensu notis, infertur seu ab in-  
tellectu colligitur vniuersale, vel  
quando ad probandum rem to-  
tam sic aut aliter se habere indu-  
cuntur omnia vel pleraque eius in-  
diuidua, in quibus sensus depre-  
hendit aliter comparatum non es-  
se. Ita primum innotuit homi-  
nibus omne vinum calefacere,  
quia Rhenanum, Hungaricum,  
Creticum, Hispanicum &c. cale-  
facere sensus docet. Ita porrò  
didicimus omnes tyrannos male  
pe-

perire, cum experientia docue-  
rit id Caligulæ, Claudio, Nero-  
ni, Galbæ, Vitellio, Domi-  
tiano, Maximino. &c. obti-  
gisse.

Differt à syllogismo, quod is, 4.  
vt dictum est, rationem affert  
quare res sic se habeat, inductio  
non ad rationem sed experienti-  
am prouocat. Sic cum syllogismo  
concluditur omnes tyrannos ma-  
lè tandem perire, dicitur id fieri  
quia alios iniustè trucidant & op-  
primant, vt:

*Qui alios iniustè trucidat aut op-  
primit is ipse quoq; tandem  
malè perit.*

*At omnes tyranni id faciunt,  
E. Omnes tyranni malè tandem  
pereunt.*

Hic redditur ratio quare pereant.

At Inductio non argumentum e-  
jus rei sed experientiam allegat,  
& inde probat omnibus hoc con-  
tingere, quia singulis deprehen-  
sum sit euenire, sic:

*Caligula perijt, Claudius perijt,  
Domitianus, Maximinus &c.*

*E. Omnes tandem pereunt.*

5. Differt porrò ab Expositione  
quod Expositio ex vno singulari  
colligat propositionem particu-  
larem, inductio ex omnibus sin-  
gularibus vel plerisque in vnum  
collectis propositionem vniuer-  
salem. Sic expositio est si dicas:

*Hoc est vinum,*

*Hoc calefacit,*

*E. Aliquod vinum calefacit.*

Inductio, cum ita procedis:

*Hoc vinum calefacit, istud  
calefacit, illud &c.*

*Ergo*

*Ergo omnia vina calefaciunt.*



LIBER QVARTVS.

De

DEMONSTRATIONE.

CAPVT I.

*De fine & definitione Demonstrationis.*

**D**ictum est lib. i. cap. i. n. 5. duas esse partes Dialecticæ seu Logicæ, & vnã agere de *forma syllogismi*, alteram de *materia*. Dicitur porro est formam syllogismi vocari, si legitimè vnum ex altero in argumentatione sequatur, eamq; inde aliàs consequentiam appellari: materiam autem conditionem & naturam principiorum ex quibus aliquid deducitur vel probatur. Pri-

2. Prior pars hactenus absoluta est: omnes enim formulas argumentorum & syllogismorum explicauimus. Restat posterior de principijs ex quibus argumenta confici solent: quæ doctrina cum difficilior sit quàm prior, paucis tantum à nobis percurratur.

3. Dicuntur autem *principia* nihil aliud quàm propositiones seu præmissæ in syllogismo ex quibus conclusio deducitur. Sunt quæ duplicia, alia *necessaria* & rei quæ probanda est *propria*, alia *probabilia* tantum, & *communis* seu longè etiam petita. Unde & argumentationes sunt duplices: quæ enim ex principijs necessarijs & rei proprijs conficiuntur *Demonstrationes* appellantur, quæ ex probabilibus & communibus *Diale-*



*alectica seu Topica probationes.*

Sic ex communibus & pro- 4.  
babiliter tantum argumentatur  
qui sic probat perfectum phthisi-  
cum non curari:

*Quicumq; est mortalis ille tandem  
non curatur.*

*Omnis phthysicus est mortalis.*

*E. Omnis phthysicus tandem non  
curatur.*

Etsi enim omnes homines sunt  
mortales, tamen non necesse est  
omnes phthysicos extingui. Nec  
quum is qui planè contabuit mo-  
ritur, ideò propriè moritur, quia  
mortalis est ut cæteri homines,  
sed peculiariter & ex certè quia ta-  
bem habet.

Demonstrat autem & ex pro- 5.  
priis ac necessariis principiis pro-  
cedit qui sic id probat:

*Cui*

*Cui totus pulmo est corruptus is  
moritur,*

*Sed omni perfecto phthifico totus  
pulmo est corruptus,*

*Ergo omnis perfectus phthificus  
moritur:*

Et sanè si pulmo corruptus sit necesse est hominem mori: nec qui ideò quemquam mortuum esse dicit, commune aliquid allegat, sed veram ejus rei causam & necessariam rationem adfert.

6. Tale quid ergò est demonstratio & Græcè *apodixis* appellatur. Vnde ipsa etiã accuratam & euidètem rei notitiam in animo gignit, cæteræ autem probationes confusam tantùm & minùs euidètem. Accurata verò & euidens rei notitia vno nomine *scientia* vocatur, estq; finis demonstratio-

strationis: unde & syllogismus demonstratiuus seu apodicticus aliàs scientificus dicitur.

Est autem *scire* rem per causam cognoscere propter quam res est, quod illius causa sit, quodq; res illa aliter se habere non possit. 7.

*Demonstratio* porrò est syllogismus qui constat ex primis & immediatis, notioribus & prioribus ac causis conclusionis: si n. scire est, causam rei nosse & eam quidem propter quam res est, id est propriam & proximam, demonstratio utiq; ex principiis immediatis seu proximis, quæq; causam contineant rei, quæ probatur, confici debet. 8.

Ita probat omnem hominem esse capacem doctrinarum qui sic argumentatur: 9.

*Omne*

*Omne rationale est capax doctrinae.*

*Omnis homo est rationalis.*

*E. Omnis homo est capax doctrinae.*

Causam enim assignat quare omni homini competat ut discere aliquid possit, quod bruta nequeant, nempe rationem: ea enim vera & proxima eius rei causa est.

CAPUT II.

*De*

*Partibus demonstrationis.*

- I. **D**iximus in demonstratione assignari causam rei. Unde tria distinguenda in ea sunt, primo res de qua aliquid demonstratur, seu *subjectum* in quo est id quod demonstratur, secundo *proprietas* illa quæ in *subjecto* ostenditur esse, & tertio *caussa* per quam id ostenditur.

Subjectum illud fit minor in  
de-

demonstratione, proprietas maior, causa medium. Sic in allato exemplo minor est homo: ei enim cōpetit illa proprietas, quod capax sit disciplinarum: major est ipsa illa *capacitas doctrinæ*, & medium deniq; ratio seu rationale esse.

Similiter res se habet cum sic demonstrō quare omnes arbores latifoliæ amittant folia & retineant angustifoliæ:

*Omnis arboris, quæ habet humidum aqueum & frigidum, folia frigus corrumpit,*

*At omnis arbor latifolia habet humidum aqueum & frigidum,*

*E. Omnis arboris latifoliæ folia frigus corrumpit.*

Item:

*Omnis arbor quæ habet humidum pingue & calidum servat folia,*

*At*

*At omnis arbor angustifolia habet  
tale humidum,*

*E. Omnis arbor angustifolia seruat  
folia.*

3. Vterq; syllogismus demon-  
stratiuus est: prior enim veram  
causam assignat defluuij folio-  
rum in arboribus latifolijs, altera  
causam conseruationis illorum  
in cæteris. In priori subiectum  
demonstrationis est *arbor latifolia*,  
proprietas, *defluuium foliorum*,  
caussa, *humidum aqueum & minus  
calidum seu frigidum*: in posteri-  
ori subiectum est *arbor angustifo-  
lia*, proprietas *conseruatio foliorum*,  
caussa est *humidum pingue &  
calidum*. Vtrobique etiam subje-  
ctum est minor terminus, propri-  
etas major, causa, medius.

CA-

## CAP. III.

DE

Notis propositionum necessariarum  
 seu earum quæ ad Demonstrationem idoneæ sunt.

**D**emonstrationem ex principiis necessarijs constare initio diximus, & patet ex decursu eorum quæ attulimus: id enim per quod propria rei affectio ex causa vera & proxima cognoscitur oportet propositiones summè necessarias & certissimas esse.

Vt igitur propositiones ejusmodi à cæteris dignoscantur tres notæ sunt obseruandæ, prima est vt sint de omni, secunda vt per se, & tertio vt vniversaliter primæ.

De omni hîc dicitur quando prædicatum competit subiecto

M

omni

162. LIB. IV. CAP. III. DE  
omni & semper, vt *cygno albedo.*

4. *Per se* autem dicitur aliquid  
in vniuersum quatuor modis. Pri-  
mò quod est rei genus aut diffe-  
rentia, siue genus & differentia  
remota sit, siue proxima. Sic ho-  
mo *per se* est *animal*, item *corpus vi-  
uens*; illud enim eius genus proxi-  
mum, hoc remotum est. *Per se*  
item competit homini quod sit  
*rationalis*, item quod *sentiat*: ratio  
enim differentia eius proxima est,  
qua distinguitur à brutis; sentire,  
remota, qua ab inanimatis dif-  
fert.

5. *Secundò* dicitur *per se* quod rei  
est proprium in quarto modo, sic-  
ut *risibilitas* dicitur de homine,  
*hinnire* de equo, *rugire* de leone  
&c.

6. *Tertiò* dicitur *per se* quod *per*  
*se*



DEMONSTRATIONE, 163.

se subsistit sicut substantia respectu accidentis, quod huc non pertinent.

Quartò, quorum vnum necessario est propter alterum vt effectus propter causam. Ita per se est eum cui *jugulum confossum* est mori. 7.

Vniuersaliter *primum* dicitur 8.  
quando non tantum rei omni & per se aliquid inest, sed etiam quatenus illa talis est. Ita homini inest sensus omni, & per se primo modo: non tamen primò seu quatenus homo est, sed quatenus animal: quod enim rem videt, audit, gustat, item tactu & odoratu percipit, id commune cum omnibus animalibus habet. At quod *numerare* possit, ridere, discere

M 2

artes

164. LIB. IV. CAP. IV. DE  
artibus liberales, non tantum omni  
ei competit, sed ideò etiam & qua-  
tenus homo est, cum ista in bruta  
non cadant.

CAPUT IV.

DE

*Speciebus Demonstrationis.*

1. **D**emonstratio, quæ κατ' ἐξοχλήν ita  
dicitur, vna propriè est & il-  
la vbi effectus per suam causam  
probatur eo modo quo dictum  
est. Et hæc propriè & proximè sci-  
entiam gignit, quia dicit quare  
seu *propter quid* res sit: vnde etiam  
demonstratio διότι & *propter quid*  
vocatur.

2. Verùm solent adhuc aliæ ar-  
gumentationes, sed impropriè,  
appellari demonstrationes. Vna  
est quum ex effectu probatur cau-  
sa, altera cum ex remotione causæ  
se

scilicet probatur non esse effectum. Ita ex defluuio foliorum probatur humidum aqueum arborum latifoliarum: effectus enim illud est huius. Similiter ex remotione vitæ probatur sensum non esse in lapide: vt enim aliquid sentiat oportet vt primum viuat, cum vita sit causa remota sensus. Vocantur autem demonstrationes *ōn seu quod.*

Sed de his & vniuersa demon- 3<sup>o</sup>  
stratione pluribus dicendum est in iustis commentariis: hæc hinc delibata esse sufficit.

## CAPVT V.

De

## Definitione.

**D**emonstratio est propter sciē- 1<sup>o</sup>  
tiam, vt ostendimus. Scien-  
tia autem est propter rerum defi-  
nitio-

166. LIB. V. CAP. III. DE  
nitionem: is enim demum rem  
rectè definire potest, qui quid ea  
sit accuratè nouit & ex proprijs e-  
jus ac genuinis principiis explica-  
re potest.

2. Vnde doctrina definitionis  
cum doctrina apodictica in Logi-  
cis coniungitur.

3. Vocatur autem *definitio* non-  
nunquam explicatio nominis  
tantum, nonnunquam explicatio  
ipsius rei: illa *nominalis*, hæc *realis*  
appellatur.

4. *Definitio nominalis* est cum di-  
co, eclipsis lunæ est ejus deliqui-  
um seu defectus: id enim vox illa  
significat.

5. *Definitio realis* est oratio quæ  
explicat quid res sit. Ita hominis  
definitio est hæc: *Homo est animal*  
*rationalis.*

Hæc

Hæc rursus diuiditur in defini- 6  
 tionem propriè dictam & de-  
 scriptionem. *Descriptio* est quum  
 non accuratè explicatur sed leui-  
 ter describitur quid res sit, vt si  
 dicas: *Homo est animal bipes, inplu-  
 me.* *Definitio* propriè dicta, cum  
 rei natura accuratè exponitur.

Constat autem definitio omnis 7  
 propriè dicta *genere & differentia*  
*specifica.* Sic cum homo defini-  
 tur animal rationale, genus est  
*animal*, differentia *rationale*.  
 At descriptio ex genere confici-  
 tur & proprijs accidentibus, imò  
 etiam sæpè ex collectione com-  
 muniū accidentium. Tales  
 sunt: *Homo est animal risibile, Equus*  
*est animal hinniens, Leo animal rugi-*  
*ens:* Item, *Homo est animal bipes, im-*  
*plume &c.* Quin reuocantur huc

M 4 omnes

omnes rerum explicationes, non tantum quæ differentiam propriè non continent, sed etiam quæ genere carent, vt sunt descriptiones Substantiæ, Quantitatis, Qualitatis, & cæterorum summorum generum: hæc enim genus se superius non habent.

§. Postremùm definitio subdiuiditur in essentialem & causalem. *Essentialis* est quæ simpliciter essentialiam rei explicat per genus & differentiã eius, vt: *Homo est animal rationale. Causalis* quæ causam externam rei addit eamq; pro differentia ponit, vt cum dicitur: *Tonitru est sonus ex disruptione nubis ortus.* Genus hic est *sonus*, differentia desumitur à causa quæ sonum efficit, estq; oriri à *nubis disruptione.*

Di.

Dicuntur autem causſæ exter-  
næ efficiens & finis, ſicut internæ  
materia & forma. Illis igitur defi-  
nitio cauſſalis conſtat, his eſſenti-  
alis, vt alibi pluribus explicatur.



## LIBER QUINTVS.

### DE DOCTRINA TO- PICA.

#### CAPVT I.

##### DE Syllogismo Topico.

**S**yllogismus Topicus eſt, vt ſu-  
prà diximus, qui ex principiis  
communibus eſt conflatus. Solet  
is alioqui *Dialecticus* appellari,  
ſicut & doctrina, quæ de eo tra-  
ctat, *Dialectica*, preſſius nonnihil

170. LIB. V. CAP. I. DE  
accepto vocabulo quam fit quum  
totam Logicam denotat.

2. Multum autem differt à syllogismo demonstratiuo: is enim accuratam rei cognitionem & scientiam gignit, hic confusam tantum notitiam, vt itidem supra iam indicauimus: vnde etiam veram *opinionem* pro fine habet.

3. Cum verò multa sint principia communia, Logici ad ea rectius inuenienda & discernenda certos Locos constituunt, qui Græcè quoq; τόπος appellantur, vnde ea depromi possunt.

4. Estq; eiusmodi *Locus* sedes argumenti: *argumentum* autem inuentum ad rei dubiæ fidem faciendam. Sic *Causa* est *Locus*, argumenta autem, principia à natura causæ petita, quibus quidpiam  
pro-



probetur: & solent hæc aliàs *axiomata* vel *maximæ* vocari.

Non est autem certus eorum 5.  
Locorum numerus, sed ab aliis  
plures, ab aliis pauciores nume-  
rantur: hic sufficit si præcipui bre-  
uiter ostendantur.

## CAPUT II.

DE

*Loco Definitionis & Descri-  
ptionis.*

**P**rimus itaque sit *Definitio* & 1.  
*Descriptio*. Vtraque quid sit  
libro præcedente diximus. Argu-  
menta seu principia quæ ex eo de-  
sumuntur hæc sunt. Primo: *Cui*  
*competit Definitio eidem competit*  
*definitum, & contra, cui definitum*  
*eidem & definitio*. Sic quod est *ani-*  
*mal rationale id est homo, & rursus*  
*quidquid est homo illud animal ra-*  
*tio-*

172. LIB V. CAP. III. DE  
rationale est: homo enim definitum  
est & animal rationale definitio.

8. Deinde de quo negatur definitio  
de eodem negatur etiam definitum &  
contrà. Sic qui negat equum esse  
animal rationale oportet vt ne-  
get eundem esse hominem. Et  
rursus quod negamus hominem  
esse idem negare etiam debemus  
esse animal rationale.

9. Eadem ratio est de Descripti-  
one: nam & ex hac duo eiusm odi  
axiomata desumuntur.

### CAPVT III.

DE

*Locis qui ex Prædicabilibus  
constituuntur.*

1. SECUNDUM Locum facimus Ge-  
nus. Hinc istæ maximæ dedu-  
cuntur. Primo: Posito genere poni-  
tur species aliqua, sed determina-  
tè ta-

tè tamen, vt: Si est animal est etiam vel equus, vel leo, vel homo &c.

Secundò, *Negato genere negantur omnes eius species*, vt: Si non est animal nec equus est, nec leo, nec homo &c.

Tertiò: *Quod de Genere dicitur idem dicitur de omnibus speciebus*, vt: Si animal est corpus leo est corpus, lupus &c.

Quartò: *Quod negatur de Genere idem negatur de specie*.

Tertius locus est *Speciei*. Unde istud axioma desumitur: *De quo dicitur species de eodem dicitur genus*. Sic quia de Petro dicitur quod sit homo, dicendum de eodem quod sit animal.

Quartus est *differentia*. Hinc eadem ferè argumenta petuntur  
quæ

174. LIB. V. CAP. III. DE  
quæ à natura Definitionis, cum  
differentia præcipua eius pars sit.

8. Quintus est *Proprii*. Hinc, si ta-  
men de proprio quarti modi lo-  
quamur, ista præcipuè oriuntur:  
*Cui competit proprium ei competit et-  
iam species. Item: De quo negatur  
proprium de eodem negatur & species.*  
Sic de quo dicitur *risibile* de eo  
dicitur *homo*, & de quo negatur  
illud, de eodem & hoc negatur.  
Sextus est *Accidentium*; sed hic,  
quia admodum imbecillia argu-  
menta suppeditat, omittatur.

CAPVT IV.

DE

*Locis Similium, Comparatorum,  
& parium.*

1. SEPTIMUS locus est *Similium*. Ex  
quo tale principium petitur.  
*Quod de vno similium valet id valet  
etiam de altero.* Octa-

Octauus est Comparatorum seu 2.  
*Majoris & Minoris*. Non est autem  
 argumentari à majori vel minori,  
 argumentari à re maiore vel mi-  
 nore, sed à majori verisimilitudi-  
 ne rei vnius ad minorem, & cōtra.

Maximæ sunt duæ. Prima est: 3.  
*Si id non inest rei quod magis verisi-  
 mile erat inesse, non inest etiam illud  
 quod inesse minus erat verisimile.*  
 Sic argumentaris: Si Petrus  
 Grammaticam non tenet multò  
 minus Medicinam nouit.

Altera est hæc: 4.  
*Si id inest quod  
 inesse erat minus verisimile, etiam il-  
 lud inest quod inesse magis verisimile  
 erat.* Ita dico: Si Petrus Medici-  
 nam nouit, multò magis Gram-  
 maticam tenet.

Nota autem à Majori ad Mi- 5.  
 nus argumentationem esse tan-  
 tum

176. LIB. V. CAP. V. DE  
tum negatiuam, à Minori verò ad  
Majus temper affirmatiuam.

6. Nonus locus est *Parium*. Pa-  
ria autem rursus dicuntur non res  
pares, sed quæ parem verisimili-  
tudinem habent. Maxima est v-  
na: *Quod valet de vno parium id va-  
let etiam de altero.* Sic si medicus  
potest sine suo interdum frustra-  
ri, frustrari potest etiam orator:  
æquè enim finis oratoris non est  
in potestate ipsius, atq; finis me-  
dici non est in potestate meden-  
tis. Eodem modo argumenta-  
mur negatiuè.

CAPVT V.

DE

*Loco caussarum.*

1. **D**ecimus locus est *Caussarum* &  
*Effectorum*, qui præ cæteris  
fœcundus admodum est & pluri-  
ma

ma principia suppeditat. Ratio est quod causa multiplex sit: alia enim est efficiens, alia finalis, alia formalis, alia materialis.

*Efficiens* est quæ rem efficit, seu producit, sicut sutor calceum, sol lumen. *Finalis* est propter quod efficiens agit, sicut medicus pharmacum præscribit propter sanitatem. *Formalis* per quam res est quod est, sicut homo per rationem est homo. *Materialis* id ex quo res est, ut lectus ex ligno constat.

Porro verò non tantum ex natura causæ in communi, sed ex singulis istis ejus speciebus argumenta ducuntur. A natura causæ in communi ita argumentamur. Primo: Posito effectu necesse est causam esse vel fuisse. Secundo: Posita causa proxima in actu, ponitur etiam in

N

adus

actu effectus proximus. Tertiò: Po-  
sita causa in potentia effectus quoq;  
tantum in potentia ponitur. Quartò:  
Negata causa negatur effectus.

4. Sic dicis: A Edes sunt, Ergò vel  
est vel fuit architectus. Archite-  
ctus potest ædificare. Ergo ædes  
possunt ædificari. Architectus a-  
ctu ædificat. Ergo ædes actu ædi-  
ficantur &c.

5. Causa efficiens diuiditur in prin-  
cipalem & instrumentalem. Vnde  
desumitur hoc principium: Nul-  
la causa instrumentalis agere potest  
nisi mota à principali. Sic malleus  
non facit horologium nisi motus  
manu artificis.

6. A causa Finali ita argumenta-  
mur: Qui vult finem vult etiam me-  
dia quæ necessariò ad illum finem re-  
quiruntur.

Afor-



A formali sic: I. Posita forma ponitur rei essentia cuius est forma. II. Operatio arguit formam. III. Quo nobilior est operatio eò nobilior etiam est forma.

A materiali denique illud est & principium: Posito materiato aut conditionibus materiae ponitur materia. Sic dato mixto ex elementis dantur elementa, & data quantitate datur materia: quantitas enim materiae proprietas est.

## CAPUT VI.

De

Reliquis Locis.

Decimus locus esse potest Antecedentium & Consequentium. Habet hic talia principia: I. Posito consequente ponitur antecedens, ut: Si est senex, fuit juvenis. II. Remoto antecedente remouetur consequens,

N 2

quens,

180. LIB. VI. CAP. I. DE  
quens, vt: Si non est iuuenis non  
est senex.

2. Undecimus est *Etymologia*.  
Sed hic admodum imbecillia ar-  
gumenta suppeditat.

3. Duodecimus & vltimus est  
*Conjugatorum & Casuum*. Vocan-  
tur autem conjugata & casus vo-  
cabula quorum eadem est origo,  
vt amor, amare, amicus, amicitia.

4. Maxima talis est: De quo dici-  
tur vel negatur vnum conjugatorum  
de eo dicitur quoq; vel negatur alterum.  
Sic, Petrus amat E. in eo est amor.  
Est amicus E. in eo est amicitia.



LIBER SEXTVS.

De

ELENCHIS SO-  
PHISTICIS.

CA.

## CAPVT I.

*Quid sit elenchus sophisticus &  
quæ ejus species.*

**H**Actenus explicata sunt 1.  
omnia quæ tam ad formam  
quàm materiam argumentatio-  
num pertinent, quibus rectè in-  
tellectis & obseruatis in disputan-  
do non errabis.

Verum enim verò quia non 2.  
sufficit scire, quo pacto ipse rectè  
argumenteris & disputes, sed in  
aliorum etiam argumentationes  
inquirendum est, quæ contra te  
adferuntur, & opera danda ne ab  
ijs decipiaris, id restat vt decepti-  
ones illas, quæ veri speciem ha-  
bent & fucum facere facile pos-  
sunt, soluere doceamus.

N 3

So-

3. Solent autem eiusmodi deceptiones & fallaciae *elenchi* *sophistici* appellari: ἔλεγχος enim Græcè est redargutio, & σοφιστῶν homines impostores seu ad alios in disputando decipiendos compositi. Unde sophisticum dicitur omne quod speciosè fallit, & *elenchus* *sophisticus* argumentum fallax seu captio.

4. Dico, quod speciosè fallit: nam si error aliquis in disputando & argumentando manifestus occurrat, quiq; nullam speciem bonæ argumentationis habeat, *sophisma* aut captio vel fallacia propriè non est.

5. Sic non est fallacia si syllogismus manifestè habeat quatuor terminos: id enim vitiosum esse ignorari nequit, sed si quaternarius

rius

ELENCHIS SOPHISTICIS. 183.  
rius ille numerus terminorum fu-  
co aliquo tectus sit, ita vt ternari-  
us tantum appareat, sicut in æ-  
quiuocatione fit.

Vnde nec hic agitur de ipsis 6.  
erratis in se, quæ in argumenti  
forma aut materia esse possunt: il-  
la enim ex traditis omnia dijudi-  
cari possunt, sed de fallacia dete-  
genda, qua ista peccata occultari  
solent, ita vt primo intuitu non  
conspiciantur.

Redigitur autem omnis ejus- 7.  
modi fallacia & fucus ad duas  
classes: vel enim est in dictione,  
vel extra dictionem. *In dictione*,  
quum latibulum erroris in ser-  
mone quæritur, *extra dictionem*  
quum in re. De utroq; genere al-  
iquid est dicendum.

N 4

CA.

*Fallaciis in dictione.*

1. **F**allaciæ quæ in dictione committuntur sex potissimum sunt, *Æqui-uocatio seu homonymia, Amphibolia, Compositio vocum, Diuisio, Accentus & Figura dictionis.*

2. *Æqui-uocatio seu homonymia* est quum deceptio est in multiplicitate significationis vocis alicuius, quæ non facillè intelligitur, vt si *canem* dicas, & nunc *animal*, nunc *sidus* intelligas: vtrumque enim ita appellatur, etsi re ipsa ista maximè differunt.

3. *Amphibolia* dicitur quum non est ambiguitas in vna voce, sed in tota oratione, vt: *Ajote, Æscida, Romanos vincere posse.* Ambigu-  
um

um hic est totum quod dicitur:  
 non tantum enim intelligi potest  
 sic, fore ut Æacides seu Pyrrhus  
 vincat Romanos, sed ita etiam,  
 futurum ut Romani vincant Pyr-  
 rhum. Decipitur igitur qui vnum  
 tantum ejus sensum esse putat,  
 sicut Pyrrhus iste ab oraculo,  
 quod versum protulit, deceptus  
 fuit.

Fallacia *compositionis* est cum 4.  
 sensu composito accipitur quod  
 diuiso intelligendum erat. Voca-  
 tur autem *sensus compositus* ut cum  
 dico: *Potest sedens stare*, id est, *Pot-*  
*est stare sedendo*, seu *dum sedet*. Sen-  
 sus diuisus quum sic intelligitur:  
*Potest is qui sedet stare*, non scilicet  
 dum sedet, sed postea.

Fallacia *diuisionis* est quum sen- 5.  
 su diuiso accipitur quod com-

N 5

po-

186. LIB. VI. CAP. LI. DE  
posito accipiendum erat. Sic si il-  
lud: *Duo & tria sunt quinq;* ita intel-  
ligas, *Duo esse tria, & Quinq; esse*  
*tria*, cum accipiendum sic sit: *Duo*  
*& tria simul sumta esse quinq;*, diui-  
sio est ubi compositio esse debe-  
bat.

6. Fallacia *Accentus* est quum in  
quantitate aut pronunciatione  
vocis, vel pronunciatione etiam  
totius orationis fucus fit. Ita si  
dicas: *Diu ille moratur* apud nos,  
non intelligendo, vt videri pot-  
eras, diu enim manere & com-  
morari, sed diu morum agere: id  
enim vox morari aliàs significat  
si prima syllaba longa sit. Simili-  
ter si ironicè pronuncietur quod  
alter sine ironia accipit. Tale est  
illud satyrici: *Vsq; adeone Scire tu-  
um nihil est nisi te scire hoc sciat alter?*

iro-



ironicè enim à poëta dicitur, & vulgò absq; ironia accipitur. Vnde poëta id dicit, posse quem scire aliquid etiamsi alij id eum scire nesciant. Vulgò autem contrarium intelligitur.

Postremo in *figura dictionis* est 7. fallacia quum phrasis vel ratio loquendi non rectè percipitur, vt si *valere & secare* eodem modo dici putes & vtrumq; actionem esse censeas, cum prius qualitatem dicat, sanitatem nempe, & posterius tantum actionem.

## CAP. III.

De

*Fallacijs extra dictionem.*

**F**Allaciæ extra dictionem sunt 1. septem: Fallacia Accidentis, Ad dicto secundum quid ad dictum simpliciter, Ignorantia elenchis, Peti-

188. LIB. VI. CAP. III. DE  
Petitio principij, Fallacia Conse-  
quentis, Non causæ, vt causæ, &  
Plurium interrogationum.

2. Fallacia *Accidentis* est quum  
id rei per se tribuitur quod per  
accidens tantum ei competit. Ta-  
lis est, si *vinum malum* voces per se  
quia homines reddat insanos: e-  
jusmodi enim homines concin-  
nat non per se, sed immodicè  
sumtum. At hoc accidit, nec ne-  
cessum est vt qui bibere vult vi-  
nū is sine modo id ingurgitet. Per  
se ergo malum non est, sed ex eo  
quod accidit, & abesse poterat.

3. Fallacia à dicto *secundum quid*  
est, quum id quod secundum quid  
rei tribuitur de ea accipitur in to-  
tum. Sic rectè dicitur *æthiops* es-  
se *albus* intelligendo id de denti-  
bus ejus. At non tamen id ad to-  
tum

tum æthiopem extendi potest.

Ignorantia elenchi est, cum non  
rectè intelligitur quid in quæstio-  
ne sit. Sic peccat qui quum Paul-  
lus dicit *cavendum esse ne quis per  
philosophiam Græcam decipiatur*, in-  
telligit hoc ita, *Philosophiam Græ-  
corum planè discendam non esse*. Vel  
si quis dicat: *Cave ne te vinum deci-  
piat*, & intelligas, *Caue ne vinum  
bibas*.

*Petitio principij* est cum id lo-  
co probationis sumitur quod in  
quæstione, vel saltem æquè dubi-  
um erat, atq; id de quo quæritur.  
Ejusmodi est si dicas *animam homi-  
nis esse immortalem*, quia *nō inter-  
eat cum corpore*: non interire eni  
*cum corpore est idem illud, im-  
mortalem eam esse*.

Fal-

6. Fallacia Consequentis est, si con-  
secutionem reciprocam esse pu-  
tes quæ non est, vt si dicas: *Si plu-  
it, terra est madida. E. si madida est  
pluit*: etsi enim quando pluerit  
terra madefit, non tamen statim  
si madida est pluit, cum possit a-  
lia de causa ipsa madere.

7. Fallacia quum non causa adfertur  
pro causa quid sit ex eius nomine  
manifestum est.

8. Postremò fallacia plurium in-  
terrogationum est quum duæ plures-  
ue interrogationes pro vna acci-  
piuntur & sine discrimine respõ-  
detur, vt si quærenti, an ea quorum  
alia bona sunt alia mala, omnia sint bo-  
na respondeas esse, vel etiam, non  
esse:

ELENCHIS SOPHISTICIS. 191.

esse: error enim oritur quia plura  
quærentur & confunduntur, qui-  
bus si vna responsione satis-  
facere velis, necessum  
est te intricari.

F I N I S.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



Additional faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



logice compendium  
Conradi Horneii in Scholas  
quasdam jam receptum,  
deinceps unum in  
omnibus discetur.


Evangelische Schulordnungen.  
Hg. v. Reinhold Vorumbauer...  
zweiter Band. Die evangeli-  
schen Schulordnungen des  
siebenzehnten Jahrhunderts,  
Jüterbock 1863, S. 427  
(Hetzgl. Braunschweig-  
wochenbühel'sche Schul-  
ordnung, 1657)














Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

COMPENDIUM  
LECTICÆ

cinctum & per-  
breue,

*in adolescentia qua bis  
dys primùm imbui-*

*itur,*

Concinnatum

*Adm. (adhibere infirmis)*  
84<sup>a</sup>

ADDO HORNEIO

l. Licent. & Logicæ

acad. Iulia Profes-

sore.

*secunda, priori corre-*

*ctior.*

*Jobst V. Rixner*  
1663

*Benno*

ELMAESTADI;

credum IACOBI LUEL,

ensis Ieremiæ Rixnerj,

clō 16cXXVII.